
T. FATIDICI
Ad
Dolabellum.
MERCVRIVS

T. FATIDICI
AD
DOLOBELLUM.
MERCURIUS.
Sive

EX CONCUSSI ORBIS MOTIBUS ac dissidiis, ad Reges & Principes, populumque universum Christianum, lætus, & ominosus Nuntius.

ad Varsaviam

HELIOSOPHOPOLI.

Cum Gratia & Privilegio Veritatis.

Anno Reparationis humanæ

M. DC. LXX.

VOS, quibus Rector maris atq; terræ,
Jus dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos tumidosq; vultus:
Quicquid à vobis minor expavescit,
Major hoc vobis DOMINUS *minatur.*
Omni sub Regno graviores, Regnum est.

Sereniſſimo

DUCI. MAGNO. HETRURIÆ.

COSMO

DE

MEDICIS.

PRINCIPI.

In ætate rerum ferrea aureo.

Orbis ſapientis Delicio.

CUm Te COSMUM, Principem Maximum, pro ſe *Coſmus* interpellat, plane ad ORBEM ſuum, revertitur *Orbis*: ut in ultimo rerum gradu conſiſtens, & ad patientiam natus, ſub ſereniſſimo DUCALIS Celſitudinis TUÆ faſtigio, defini-

tum ſubſiſtendi ſpatium petat & inveniat quietem. Unaquæq; res, jam pridem Authore DEO Univerſi, certas facultatis ſuæ metas acceperat, ſed quum nemo jam intra ſphæram ſuam contineri patiatur, ſuos quoque limites, ORBIS noſter exceſſit: ut nec fruſtra nec ignobili diligentiâ eum finxerint mobilem novi Philoſophi, adeo etiamnũ ſucceſſivis mutationibus obnoxius eſt. Exerrantem cum Regnis & hominibus, atque concuſſum tot motibus ac diſſidiis orbem, patrocinium & interceſſionem coram Regibus quæſiturus, TE DUCE in viam revocare nititur noſter MERCURIUS. Et ſane in hoc Orbem juvandi propoſito ſuam approbavit prudentiam, hic *lætus* & ſimul *Ominoſus Nuntius*: quorſum enim tam grandi rerum humanarũ tumultu, fractus *Coſmus* Duci debuit, niſi ad COSMUM,

ſi poſ-

ſi poſſet quieſcere! aut unde, manum expectare medicam, niſi de MEDICIS, ſi placeret ſanari? Magnum irritamentum felicitatis, nō aliter noſſe, niſi in *TE Sereniſſime PRINCEPS* quietem, & ex MEDICÆA DOMO ſanitatē; ut utroq; oſtenderet, quam ſit TECUM ſuſpicienda Mortalibus: quæ ſcilicet à ſæculis, Regum Maximorum GENITRIX, & NUTRIX Regnorum, jam pro communi habeatur Parente, nec ab exteris colitur minori reverentia, quam ſi genuiſſet univerſos. Quis negabit *Medicam* & ſalutarem? ſi rectè præſumpſerit, poſſe ex maxima medentis ſolertia, etiam mundum ad ſenſum amiſſæ ſalutis revocari. Quod, ut ingentis prudentiæ opus fuit cogitare, ita non minor eſt in eo ſuſtinendo præſentis Mercurii imbecillitas: nimirùm fortioribus humeris debuit committi *Coſmus*,

neque enim levibus ſuſtinenda digitis, quæ integros lacertos requirit, tantæ molis MACHINA, & illis plane, quos in COSMO ſæculum miratur, & inter Virtutum ornamenta, ac fortitudinis decora, ambitiosè Regnis, populisque oſtentat ITALIA. Patere igitur ſereniſſime Princeps, tuis iſtud pondus advolvi cervicibus, & ſi ſimilium ſimilis eſt ratio, nec impar ſympathiæ affectus ad affectum, *Coſmum* in *Coſmo*, *COSME* amplectere, ut TE Ducum Maxime, Atlantem accipiat Orbis Chriſtianus.

--- *longa eſt injuria feſſo.*

Cauſam, caſumque prona in malè affectum clementia percipies ex *Codicillis*, in quibus, ſi quædam abominantis non Naturæ, ſed ingenii ſpectra occurrerint, non continuo projicies tabulas ex oculis; ut homines ſciant, non Alexandros tantum aut Hercules, ſed & ſapientes

Viros

Viros pugnare cum monſtris, in quibus, magnis quoq; Principibus, jam dudum non ſine certamine quæſita laus & voluptas eſt. Quid ſi vero, in deformiſſimis portentorum imaginibus, quas hic intueri licet, formoſa animæ ſapientis cogitata reperias? ſub quorum profecto involucris, & vera & certa de rebus humanis, cognitio eſt, & plurima ad rerum noſtrarum, ſeu publicum ſtatum, ſeu privatos mores reformandos, ſapientia.

Verum iſta quidem, ſicut horrori timorique eſſe poterant Cauſam ignorantibus, ita caſum acerbitate metientur, quotquot veſtitam VERITATEM aſpexerint: dum enim peſſimorum larvam detrahit noſter Mercurius, novo plane commento, nudam Veritatem palliavit; an ne plusquam verecundæ Virgini, ſua à Viris exprobraretur nuditas? an ſi nudata non tunicata

cerneretur, illiciti amoris pateret obtutibus? Sed ratio fuit, aliud concipere animo, quam id, quod oculis probaretur; vel displiceret animis, nimirum morem iniquissimum opacissimi sæculi secutus est, in quo, vix hæc puella hodie sine amictu incedit, in templis, Aulis, pulpitis. Ita plurimis vestimentis tegitur, ut densioribus etiam sub polo frigidissimo, ad arcendum frigus, nulla fœminarum utatur. Summus VERITATIS pudor, ac turpitudo est, aliquam sui partem nudam ostendere, ut si antiquæ libertatis memor, tam crasso habitu abscondi non patiens, caput vultumque exerat: illico adsunt, qui admoneant, nuditatem puellæ Virorum non bene patere aspectibus: si monitorem contemnat, tractatur vel ut propudium libidinis, ne nuda, hominum cœtibus intersit: adeo, ut ipsa

jam

jam VERITAS, conceptiſſimis verbis juraverit, ſe niſi palliatam, & bene tectam, non prodituram impoſterum in publicum; nam quicunque tumultuoſæ huic vitæ, ſe ſuamque cum Studiis ſecuritatem committunt, *Fortunæ* deſiderio tenentur, cui cum ſæpè inimica ſit ex nuditate VERITAS, tutius rerum verborumque blanditiis tegitur. Quod ipſum, errores & vitia perſequenti placuit Mercurio, ut hic ſimulato imprudentiæ ludo, faſcinum indueret, & ſe ſæpius abſconderet *magni præſentia VERI.* Profecto, *omnis Ariſtippum decuit color*, ut jam quocunque ſchemate adumbrata, noſtra ſe TIBI Sereniſſime Princeps inſinuet VERITAS, eam abſque pudore ſuſcipias, &, qui nunquam deſpexiſti nudam, palliatam admittas.

Quod si Ducalem animum terrebit in ominoso NUNTIO Nomen, hunc eâ parte cape, quâ, nullis miscetur doloribus & LÆTUS est.

Ita precatur

Serenissimæ Celsitudinis Tuæ

Cliens

A. I. T.

REG

REGI SÆCULORUM.

Immortali & Invisibili.

Laus.
Honor.
Virtus.
Gloria.

TIBI ſuprema Cœlorum, Terrarum, Inferorumq; Poteſtas, REX SÆCULORUM *Immortalis & Invisibilis*, quicquid iſtud eſt ad orbem Chriſtianum Nuntij, toto cordis ac voluntatis affectu, ſinceroque rebus in humanis emendationis deſiderio, quâ poſſum. *Homo*; quâ debeo, *ſervus*; do, dico, conſecro. In quo, uti clemens es & multum longanimis, ignoſcas propitius anteactæ vitæ ſceleribus; *omenq;* dirum, quod provocavimus à noſtris avertas cervicibus, barbaræ ſervitutis. Cedat qui illuxit tua diſpoſitione ad *laudem*, *honorem*, *virtutem*, *gloriam*

gloriamque ſanctiſſimi NOMINIS Tui maximam hic Annus, nec quidquam mortale ſentiat ſigno immortalis Tituli redemptus. Sit fælix, fauſtusque non funeſtus hic Annus, quem, Tua indulgentiâ, jam ingreditur cum cœleſtibus virtutibus orbis Chriſtianus. Sit myſtico Numero fortunatus quia conſenſu univerſali ſupra Milleſimum, ſexcenteſimum vocatur ſeptuageſimus. *Tu*, qui PRIMUS & NOVISSIMUS es, conſtituatur hic Annus, in fine & principio Annorum tuorum velut immutabilis Gratiæ periodus, fatalis tantum vitiis, non Hominibus. Tu immortalis, ægris parce mortalibus; & inviſibilis, concurſu operum arcanorum tuorum viſibili, quem, ab initio poſſediſti, & noviſſimis promiſiſti temporibus, emitte SPIRITUM, & creabuntur omnia, ſuper faciem terræ, & in aquarum abyſſis. Ecce Novus Annus eſt, in numero Annorum Tuorum, dic, REX omnium ſæculorũ (tempus eſt) dic: ECCE NOVA FACIO OMNIA, qui ab initio dixiſti, & *facta ſunt omnia.* Quod ſi *dicere* Tuũ, *facere* eſt, Domine VIRTUTUM!

quid

quid impedivit, nisi immane scelus, quod tamdiu patiens dolensq; tacueris? causa magna tacendi, major hodie loquendi est, si sublatis sceleribus, mirabilia super filios hominum consilia Tua, benignius respicis. *Dic & fac, quia tempus faciendi Domine tempus faciendi, quoniam dissipavimus Legem tuam*, quam, *FIDEI, SPEI, Charitatisq;* circumscripsisti Limitibus; quibus, posteaquam transgressione, illusit subtilis insania (confitemur) illicò in partes CORPUS, quod formasti abiit, & contempta res effecta est, PIETAS & RELIGIO. *Sacerdos*, factus est sicut populus: *Populus*, sicut Diabolus: de Regibus quid? aut Principibus querar querulus? *altitudines mõtium tu ipse conspicis*, & exspirantis Christiani regiminis articulum tu cognoscis, quod, jam publice invalidum, privatim vecors, quâ fulgere Gentibus & Judæis debuit, perdidit claritatem. O REX *gloriæ*! & PRINCEPS Pacis! quid dicã inter vermes, vermis; inter homines nõ Homo? major est nostræ afflictionis casus, quam ut elementa omnia lugere possint aut intueri. In occasum, o casum omnium! divina tua ac

cœlestis

cœleſtis miſeratio ſe effundat, oportet. Exurge & urge bonũ Orbis, REX SÆCULORUM, noviſſimis ſæculis, ut videat *ſigna* tua, *ſigna*, gratiam, non ultionẽ deprecantis PIETATIS. Proſperè *procede*, in mirabilibus tuis, & *regna* in Regũ pectoribus, & Regnorum conſiliis. Firmetur in cunctis Gentibus & Populis, VIRGA directionis Tuæ, & Virga REGNI Tui, dominetur terrarum imperiis. O affectuum humanorum dominator DOMINE, qui magnalia mirabilium tuorum, operibus manuum tuarũ velut ſignaculũ indidiſti, & ſacratiſſimis digitis tuis, rebus omnibus creatis, inviſibilis Virtutis & potentiæ tuæ impreſſiſti characterem, imprime & accende ignem *Amoris* tui, humanis cordibus, & exuſtis cœleſtium deſiderio diſſidiis, liga lapſos affectus mortalium, *Charitatis* funiculis. O lux æterna! quæ illuminas omnem hominem venientẽ in hunc mundum, illumina tenebras noſtras, ad illuminandam aciem mentis noſtræ Lucis tuæ radiis, ut credamus in te, & videamus te *nova facientẽ omnia*, & adoremus ſuper omnia. Te unum Largitorem bonorum omniũ in omnibus. *Amen. Amen. Amen.*

TYPOGRAPHUS

Christiano Lectori vitæ utriusq; Salutem.

VErsanti mihi, ut *Homo* sum, res humanas animo, inter quamplurima, quæ præter oculos eunt, aut humanis Casibus labuntur, *Lector Christiane,* incidit in manus meas errore familiari, nec importunè *Fatidici, ad Dolobellum Mercurius*, qui cum esset Anonymus, ne sine omine homineq; fatuum planè præteriret Orbem, & lateret obscurus, isto præcipuè sæculo, quo, omnia summa, *Virtutes* & *vitia*; imò hoc novo ex auspiciis Anno de quo multi multa nō magis, quam omninosa vacanti jam novitate Prælo, debuit commendari. Non displicebit quisquis est famæ suæ cupido, fatidica sua per Mundum latius spargi, ut Calcographiæ nostræ beneficio, si fieri potest, in omnes terrarum fines, videatur incrementum accepisse, effudisseque sapientissimorum monitorum imbrem; cujus impressione & impulsu, nosse illū

plurimi

plurimi volent, nec in personam duntaxat, sed & in Nomen inquirant Curiosi. Verum ille, sibi magis quam aliis notus, ut benè lateret, voluit fastum Magnorũ imitari, fucumque pati, aut cum illo comitatu incedere, quem cum fabulis Comici mentiuntur. Siquidem ficta isthic Nomina quis nõ videt? quæ si abfuissent, tamen ex tot innumeris dolis bellisque, haud difficulter *Dolobellum* concipere fuit; atque in fatali rerum Christianarum periodo, hominem conjicere *Fatidicum*. At, de persona, nomineq; quantum vis, non quis fuerit ex vultu, sed quid scripserit ex ingenio, orbem scire, interest, cui soli natus est. Ingeniosum scriptum! dignumq; quod legant omnes, ad quoscunque deferri contigerit, nec minus ominosum Reip. Christianæ, si comparata in humanum exitium socordia, salutari proposito æstuantem Authoris destituat pietatem. Qui, severis monitis ut neminem fallit, sic neminem palpat ne ipse fallatur, docetque quid in divinis humanisque agere inter homines, addo Christianos, Pacis humanę Causâ, oporteat. Alii turbidum putabunt, parumque

officio-

officioſum & patientem, quod odiis ac
diſſidiis componendis, toties ingerat
divinam ultionem minitantem Barbaro-
rum incurſum: haud advertens, nondum
laſſatis Regibus Chriſtianis, ſatis ſpei &
auxilii ſuperfuturum, ſi aliquando con-
verſa belli mole ac formidine in nos ir-
ruerit. Niſi morbus irruat infeſta eſt
medētis prudentia, ſubſidii acceleratio.
Quid, quod Nuntium iſtum Spontanea
confeſſione, triſtem & ominoſum, in-
dignumque quem Reges & Principes
admittant; ſiquidem placandi erant po-
tius animi, neque atroci rumore percel-
lendi; & timoris, qui nimius videretur,
ſuavioribus verborum blanditiis, aver-
tenda ſuſpicio. Si quid cum iſtis, plus
ſecuritatis, an levitatis habet *Mundus*;
ſi quid felicius ſperat, aut pollicetur *Poli-
ticus*, non moror. Satis ſcio, quantum
delicatis auribus & curioſis animis, di-
ſpliceat auſtera Veritas; cujus ſalubri ac-
credine, ubi guſtum ſui ſuaviſſimum,
cui nimium aſſuevit, ſentit evaneſcere
iteratæ pravitatis conſuetudo, extemplò
timetur ſanitas, ut frequentiſſime volen-
tes pereamus, neque majoribus viribus
perſe-

perſequamur hoſtes, quam Medicos. Ut ſerio mihi metuendum ſit, ne emendationis humanæ nimio deſiderio, oleũ & operam jam perdiderit Authoris diligentia: quod in Regias ejusmodi homines non libenter admittantur, nimis ſincerè dicturi, quæ, aut ipſi perverſa in Regnis vidiſſent, aut famæ loquacioris beneficio accepiſſent. Tum quod aſymphonæ mentes, concordi concentus odio, & omnia miſcendi libidine, malũt deſperatam exacerbatorum animorum ęgritudinem, quam ſalutarem affectuum harmoniam experiri. Acer quidem plurimis in locis hic eſt Codicillus, ſed perierat Authoris conſilium, niſi pupugiſſet; non enim novum eſt quibusdam morbis, qui calore ſolvi conſueverunt, ira mederi. Igitur quemadmodum ſapientiſſimè de virtute cenſenti nemo ſuccenſebit, niſi cujus tota prudẽtia, ſcelus eſt, ut non tantum malè oleat, ſed & doleat ſapienti Nuntio, orbem Chriſtianũ ad frugem meliorem revocari; ita ſerium mihi metum eximunt; quamplurimorum Bonorum, confuſionemq; noſtram ex animo dolentium ſaniora Judicia,

quibus

quibus ſeria *Fatidici* noſtri meditatio nõ erit inutilis, quoties ad ſe divertentibus occurret deploratum Orbis Chriſtiani ſimulachrum: Ad cujus calamitoſum conſpectum, tu quoq; Lector Chriſtiane ingemiſces, &, quod ex dolente mentis impotentia, in occęcata mortalitate mutare non potes, id ſupremis apud DEUM precibus ac ſuſpiriis flagitare ne deſinas, aut ſi defuerit Pietas, officioſo rem deſperatam abſcondas ſilentio. Ita nemo mecum, tecumq; ſciet in fatuo Mundo ac vitiis fatiſcente, quid cum ſuo Fatidico Nuntio ſperare voluerit non imperiti Hominis Zeloſa prudentia: una ſiquidem *Stultum*, & *Sapientem* opprimet ruina, quando ſcilicet odiis ac diſſenſionibus convulſo orbe, divinæ vindictæ & ultioni, ſpatium fecerit, ad ſolitæ fortitudinis oſtentationem, vacua & inanis bonis conſiliis Chriſtianorum

SECURITAS.

In

In Authoris præfixum Emblema.

SPECTATOR ET MERCURIUS.

S. Dic mihi Djs genite, quid vult sibi tristis imago?
    Quamq; premis manibus, Machina fracta tuis?
M. Discordis Mundi mœstam notat illa ruinam.
    S. Cur scissa in partes, segmina quosve petunt?
M. Christiadum Sectas, divisaq; Regna, Tyranni
    Quæ cecidêre manu, signat in orbe globus.
S. Quid BASIS disjecta? doce: M. projecta Potestas
    Monstratur Regum, frausq; dolusq; Gregis.
S. Quid juvat in levibus baccharier instrumentis?
    An scelus est Artis? num furor Artificis
M. Innuitur Regum dominandi nota cupido,
    Ast hanc compescet barbarus ensis Atym.
S. Quid mappa gemina, lauraq; volunt? M. violatas
    Ista DEVM Leges, hæc hominumque, monet.
S. Heu fuge! nec sedeas, sed eas Bone, quâ patet orbis
    Continentq; tuos sarcina nulla pedes.
M. Pande precor, vaga quo moveam talaria? quippe
    Vrbe caret VERVM, nec habet Orbe locum.
S. O scelus! O facinus! quem non ferit Orbis imago,
    Nec movet humanum, mœsta Figura genus.

CODI-

CODICILLUS I.

Periculoſa, & odioſa Veritas, Authoris metus, diffidentia, & ſimul intentio.

PEriculoſæ plenum opus aleæ ſubeo DOLOBELLE, dum hoc monumento ingenij, difficilem rerum noſtrarum exigo rationem, atque ex tot Orbis Chriſtiani motibus ac diſſidiis cogor, conorque elicere, dignum ætate noſtra momentum conſilij. Haud enim ſatis conſtare videtur, num in iſto negotioſo ſeditioſoque rerum humanarum tumultu, quo, ſibi imperante more, tam magnopere placent omnes, & parent univerſi, fas ſit cum multis Bonis ſentire quæ velis, & quæ ſentias, cum paucis exprimere.

2. Jam vetus fuit iſtud improbitatis ingenium, ſalutares in bonum publicum conatus, linguis, calamisq; perſequi, & homines, quorum virtus & ingenium timeri meruit, libellis, & convitiis, dolentius an ſceleſtius laceſſere. Hoc, noſtro quoque ſæculo peculiare crimen eſt, & recepta in peſſimis conſuetudo, non magis vivam admonentium vocem, quam mutam quoque veritatem expaveſcere, obloqui, & calumniari, quorum inſaniâ, eò res deducta eſt, ut quicunque antecellunt *Virtute* & *Ingenio*, timeant, quos infra ſe vident, omnisq; eruditionis ſit maximè contentioſa poſſeſſio.

3. At VERITATEM quidem, quæ tangit ulcera delictorum, ſuo quodam modo, jureq;, noſtra averſatur improbitas; verum illam, quæ nuda pependit in Cruce, & innoxio obtutu ſuſpexit in Cœlum, quam ob rem abominamur? an, quia, prout utraque harum, duobus Animi noſtri morbis medetur, erroribus nimirùm ac vitiis, ita nos pariter utraque iſta ægritudo delectat? Ita profecto

fecto eſt, ultra omnium pignorum Charitatem amamus *flagitia* noſtra, ut metu ſanitatis volentes pereamus: quis enim patitur ſuum ulcus cùm intumuit, tangi? aut ferrum avelli à corpore, fatis jam urgentibus? Aucta peccandi amore licentiâ, genioque ſectæ Chriſtianæ in odia ac diſcordias natæ, multorumque animis ad damnationem propendentib. amamus & exoſculamur etiam *Errores* noſtros, ſive quod ad affectuum furta ſceleraque conniveant; ſive, quia nos obſtinatum infinitis opinionibus præjudicium, atque inſana partium ambitio, ad rabiem usque exagitant.

4. Quæ omnia quam altè in animis noſtris radices egerint, argumento eſt (proh dolor!) Civilis inter nos rabies, & odia in mutuam perniciem converſa, ut ſpem emendationis leviſſimam prorſus excluſerint. Alit malitiam, ſimul temeritatem noſtram, & felix ſcelerum ſucceſſus, & audax omnia decernendi licentia: multumque olei huic incendio affundit, noxia de divinis præſumptio, & prava in humanis conſuetudo, ut ad

extremum ventum ſit,nam ex omnium Bonorum judicio,& ſummam Religionis & tranquillitatem Regiminis, periclitari neceſſe eſt.

5. Cum idem ſentiam,quod omnes, quis me vetabit idem dicere, quod omnes? Obſtabit opinor peſſimorum adverſus Veritatem odium, nec parum nos percellit, in rebus deſperatis Bonorum diffidentia: quarum alterâ, ex ignobili humanorum affectuum paſſione, infamatur bonarum mentium intentio: Alterâ, deſperatæ rei reputatione, & humani imbecillitate ingenij in afflicta Cauſa peſſumdat emergendi ſolatium.

6. Et quidem veterum temporum triſti memoria, & præſentium aſpectu, excedit omnis ævi modum hodiernæ improbitatis ingenium,cujus causâ,ego ipſe,non tam ſententiæ, quæ hos Codicillos complectitur, quàm ſecuritati meæ timeo; quotusquisque enim hanc, ſine Authoris injuriâ recenſebit? quis hic digitum cenſorio obelo figet, ut non me ſimul transfigat convitio? Hæ-

rebunt

rebunt alij ad operis frontiſpicium, & ad ipſum læti & ſimul ominoſi Nuntii conſpectũ, ut in varios abeant affectus, judiciis conficientur contrariis. Quod ſi ad malorum quæ proponimus venerint remedia, videbitur illis, ab extremis Indorum finibus, iſte cum Æſculapio venire Mercurius, & quamquam inermis, illis tamen armari lapidibus, quorum (ſi Philoſopho credimus) apud eas Gentes & Nationes, arcana vis, illud efficit, ut quicunque illos aſpexerit, illicò raptus & anhelans obmuteſcat. Ejusmodi enim erunt iſta omnia, ut quemadmodum nemo Bonus, niſi bona in orbis irrequieti ſolatium concipere poſſit; Ita, nemo malus, niſi mutus aut ſtupens ſpectare audeat, quod in reformatione Orbis Chriſtiani, machinamur. Atque utinam mea me firmet fides, nec fallat opinio, & iſti ſtupores non obmuteſcant duntaxat, ſed & obrigeſcant, obruteſcantque, exuti homines, in infames converſi ſtatuas, quotquot univerſalis harmoniæ contemptu, & Pacis Chriſtianæ communis

odio, Bonum Publicum, perversis artibus impediunt, & cum ipsi nolint, volentibus, nequiter imponunt, & Bonis mentibus obloquuntur. Ignoscant meliores, dum pessimis irascimur, certè non immeritò commovemur, Nomine Reipublicæ Christianæ, quam, circum & intra odia lacessunt, dari homines Christianos, & quidem sacrorum Mystas & Antistites, qui pravis artibus & consiliis communem salutem ac publicum bonum impediunt, quod, cùm impetrare à Sacerdotibus non possumus implorandum est illud à Regibus.

7. Certè concessum cœlestium beneficio hominibus, ingenium, si unquam alias, jam vero maximè inter occurrentia passim errorum scelerumque dedecora, etiam ab ultima fatorum violentia debuit revocari: Et, si Homines sumus, imò si *Christiani*, isto novissimo sæculo omnes advocare debemus spiritus, in orbis laborantis & agonizantis necessarium subsidium. Sugillat nequitiam & ignaviam nostram Homo Ethnicus & gentilis: *quid tam maligum*

gnum

gnum (inquit) *quam nolle prodesse, cum maximè possis?* Res CHRISTI geritur, & humanæ salutis negotium, in quo, qui contra nitentem feriet, erit mihi non *Carthaginensis*, sed CHRISTIANUS, cujus profectò est Legem illam sequi, quæ rationi, non sensibus data est, quisquis divinam voluntatem, & necessariam rerum humanarũ omnium prorsus in omnibus emendationem intelligit, ignorare non potest.

8. Quamobrem, non magnopere laboro, quam in partem, tempestivam & intempestivam sapientiam nostram, Pessimi sint accepturi, quibus, cum assentiri non ausim, dum Conscientiam meam interrogo; invenient, si Causam inspexerint, benigniores humani generis Interpretes, in ipsa Veri periculosa libertate, verum non minus quam liberum bonæ mentis Judicium: quo, quemadmodum placere omnibus perquam difficile, ita singulis (etsi maximè velim) medendo prodesse arduum est; illis præcipuè, quibus, morbum suum sollicitat voluptas, & commendat con-

ſuetudo. Tentabo omnia, & in iſtis morborum noſtrorum remediis, quæ homines obſtinatius recuſant, quàm propinantur, ne ſibi vim inferri mortales putent, fortaſſis dolo etiam opus erit, ſæpe quippe medentis verſutiâ, in quam, haud prona eſt infirmi ſuſpicio, profuit; ulcus, & vulnus aperuit; obſtinatumque ad valetudinem animum, accipere coêgit remedium. Imitabor machaonicam cum arte ſolertiam, proponamq; ſub aſpectum ORBI *Chriſtiano*, ut ſuos errores & vitia videndo, ſpem & levamentum doloris capiat ex oculis, atque illa quæ læſit, trahat ad ſanitatem incautum & incurioſum, objecti turpitudo.

9. Quod ſi haudquaquam iſtud ſucceſſerit, ut imbecillem aut perfractam voluntatem, ſoletur fortior potentia, ſupremas ad auxilium implorabo in terris POTESTATES. Nam quod in derogatæ Juſtitiæ defectu, & juris injuiriâ nemini non licet, id mihi in Cauſa potiori non licebit? Nempè appellare ad *Reges & Principes*, veros Orbis Nutritios,

addo,

addo, *Christianos:* Ut ex supremis querelis, miserabilem ubique speciem præferentibus, CHRISTIANÆ UNITATI & CONCORDIÆ, vi malorum, sub crudelissimo odiorum ac dissidiorum Regno, ad desperationem adactæ, non jam perplexis per politicam simulationem ac dissimulationem consiliis, sed auxiliis ex conscientia manifestis, opem & subsidium ferant: ne humanum modum supergressa malitia exorbitantibus in immensum vitiis & erroribus, innoxia Bonarum mentium damnetur intentio, cujus fructus publicæ utilitatis si pereat in Mundo, cadendum erit DISCORDIÆ Legibus, nec spes ulla mutationis in Orbe Christiano.

CODICILLUS II.

Mortalium omnium pessimi Christiani

MAgnum sibi Theatrum *Mundus*, majus HOMO, cujus gratiâ, ille creatus est, in quo, quam formosa sit Artificis Natura, videtur ex homine, licet

totam sive Causæ speciem, effectus non capiat, sed ut potest adumbret. Quis crederet, ad *imaginem & similitudinem DEI* factum esse, nisi verbum revelatum diceret? Hic, quamprimùm in loco voluptatis collocatus est, ut necessariis laboribus, cum socia vitæ intentior esset, & dissimilis voluptas, jucundissima successione afficeret cupientem, excidit divinitatis cupiditate, earum omnium gratiarum pertæsus, quas ingrato, quia peccaturo, DEUS magnificè contulerat. Ut eodem tempore institutus *Homo*, & constitutus *Hæres* quæri non posset, ea sibi haud contigisse, quæ felicissimum ac beatissimum constituunt, nisi prævaricatio tantæ felicitati obstitisset.

2. Itaque è loco perpetuæ voluptatis pulsus Homo, quid nisi ærumnis debuit subjici, & contemptor Cœlestium, terras occupare? Cui, velut radici generis nostri constituto, istud acerbissimum accessit, quo, tributum quoddammodo solvens peccato, non se solùm in statu prostratæ naturæ, verum etiam posteros damnatione involvit, & implicavit sceleribus.

ſcribus. Non multò poſt funeſtiora poſt Adamum experti ſucceſſores, nam poſtquam utilis ac neceſſaria humano generi, divini cultus cognitio, temporis lapſu & in odium, & in oblivionem veniſſet, multiplicatis vitiis ac hominibus, à Creatore ad creaturas converſi, inter quamplurima vitæ humanæ flagitia, Dæmones quoque de hominibus triumpharunt, ut ſuperſtruerent *Gentiliſmum*. Cum extincta veri DEI cognitione & divino ritu ejecto, ſe DEOS inani titulo finxiſſent, ut eminentiſſimæ poteſtatis opinione, vel admirationem ſui timidis mentibus inſinuarent, vel quod pejus fuit, flagitioſis imperarent cultum & reverentiam.

3. Ad immanem per Mundum univerſum Idolorum cultum, exhorruit cœlum, atq; ipſa ingemuit NATURA; quod Homini, totus DEUS excidiſſet, qui, ne totus periret, quanta DEI pulchritudo eſſet, à quo eſt, quicquid pulchrum aut bonum eſt, pauciſſimis oſtendit. Ad cujus cognitionem referebantur ſpecioſiſſima ſydera, ſuſpenſæ ac mobiles

nubium picturæ, splendor Solis, Lunæ vultus, & aspectus syderum: sylvarum amœnitas, fluminum cursus, fluxus & effluxus Oceani, varia florum segetumque dignitas, atque alia quamplurima, quibus omnia elementa cum mixtis superbiunt. Istud, NATURÆ beneficimu fuit, ut per illud paucis illucesceret DEUS, ne scilicet universos densa caligo involveret: imò ne majorem potestatem usurparet diabolus quàm DEUS, qui voluntates haud cogit, alliciebat homines Natura, ex cognitione Creaturarum, ad cognitionem Creatoris.

4. Inter paucissimos Virtus *Abrahami* enituit, ut perspecta fidei illius, ac obedientiæ constantia, rejectis & reprobatis Gentibus, in illo formaretur peculiaris Natio Judæorum: Quod, divinæ bonitatis erga gentem electam, singulare indicium exstitit. Verùm enimverò, cum omnibus mortalibus, naturale sit diuturno bono lassari, quid mirum! speciale electionis privilegium fastidium sui fecisse, & exorbitasse toties à majorum pietate populum specia-

lem

lem, quoties blandissimè tentatus, etiam potentissimè traheretur. Legislatore hic opus fuit, qui ad arbitrium legum divinarum, duras inflecteret Cervices, juberetque DEO parere jubenti: Ut sui ipsius esset aliquomodo etiam Lex, & invitâ ac reluctante quoque natura, fidei suæ post DEUM, assertrix ac ministra probitatis.

5. Non inconstans tantùm, aut in omne probrum flexibilis, verum & varius sub lege data & accepta populus Judæorum fuit, nec uno modo rebellis, quem supra omnem modum etiamnum sibi adstrinxit prona in sensuum appetitum Naturæ pervicacia, & simul incredulitas. Donec *Multifariè multisq́ modis olim DEUS loquens Patribus in Prophetis, novissimè loqueretur in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula*, ut miseratione suâ, non Judæis duntaxat, incarnatione Filij occurreret, sed & Gentibus provideret, Mundumque universum divinissimis cumularet beneficiis.

6. Tempore opus fuit, & multis mi-

 raculis,

raculis, ad tam grandem, ac humana omnia superantem mutationem, ut ex concursu gentium & Judæorum, novus fundaretur populus CHRISTIANUS, à CHRISTO, per quem & filij DEI nominamur & sumus, quod nec dici, nec deduci potuit unquam sublimius. Imbecillis quidem animi indicium est, citò credere, at cum semel Christo credidit *Gentilis* & *Iudæus*, quis Christianum audeat dicere, qui, tot sæculorum testimoniis, tot oraculis Patrum, tot in fidei munimentum perpetratis miraculis, audet reluctari? unamque stupenti Mundo, atque converso, obijcere, quâ solâ potens est præjudiciosus animus, nec ideo capax veri, diffidentiam? Quis *Christianum* appellabit, quem, nec divinarum legum, humanarumque constitutionum reverentia & authoritas, nec meritorum præmium, nec suppliciorum metus, deterret à vitijs? ut tanto liberius quanto insolentius, naturæ lascivientis ac ferocientis impetu, currat in omne sine fine flagitium.

7. Quod olim tanto ardore *DEUS* Mun-

Mundum dilexerit, ut Filium suum unigenitum daret, qui non dubitanter pateretur pro eo quoscunque cruciatus. Sanè, memorem hujus Amoris esse oportebat populum Christianum, tum propter se, ut efficeretur in dies melior, tum ob Gentes & Judæos, ne dato scandalo illos arceret à gremio suo, & introitu Ecclesiæ: cujus postmodum qualis esset facies, ex adumbratione Solis apparet, qui, in ortu suo, qualem illum essemus habituri media die, sæpè ostendit haud fallax de seipso vaticinium. Nam, si emergens tristis est, vix in processu erit hilarior, lucemque suam plenis radiis non fundet. Primitivæ Ecclesiæ vultus, ut lux refulsit, sed non obscurè in illis radiis ostendit Apostolorum ætas, quid aliquando peccatura essent tempora sequentia, in quâ, licet intaminata fuerit Christiana religio, multa nihilominus dedit præludia futuri certaminis.

8. Itaque jam per plura sæcula densa caligo Reipublicæ Christianæ incubuit, sed nunquam magis, quam hodie verum reddi-

redditur illud: *Tenebræ operuerunt faciem terræ, & caligo populos*, maximè CHRISTIANOS.

O nos ſorte durâ creatos!
Seu perdidimus Solem miſeri,
Sive expulimus.

Tantam tenebrarum nubem, nondum in orbe Chriſtiano, tot certaminum contentionumque, tanquam maximorum ventorum ac procellarum impetus diſcutere potuerunt: quid ſit futurum poſtea, certè res omnes denſa ſunt involutæ caligine, in quâ diſcutienda, multi operam & oleum perdiderunt. Siquidem in tam craſſis humanarum rationum tenebris, non lucernis aut funalibus, ſed pleno Sole opus eſt; cujus plenam faciem, pauci per intervalla nubium vident, alij ſtricturas tantum luminis, eminus mirantur; Cæteri ut tenebris delectarentur, cæcitati ſuæ remedium in Mahumetiſmo quæſivêre, ſive ut delirarent damnoſius, ſive ut Moyſi & Chriſto imponerent acerbius.

9. Calamitatem illorum temporum, quæ tantas in orbem Chriſtianum tenebras

bras effudere, debemus acerbissimis tributorum Tyrannis, qui imperante Heraclio, summum in subjectis populis exercuêre dominatum, ut quanta cura pro dilatando imperio fuit, non minoristorũ ubiq; esset sævities pro auro, illeque videretur optimus, qui ad affligendum populum aliquid statueret acerbius. Nam veræ pietatis ac justitiæ defectu, eò avaritia & cupiditas Principes provexit, ut auri intuitu nihil non moliretur ubique, sed præcipuè in Palæstina, quotidiana exactionum sævities. Nam quodcunq; sudore comparaverat plebs, tanquam furto collectum, reddere cogebatur, & rebellionis scelus fuit, si non plura in fiscum conferret, quàm, quæ opum tenuitas, vires corporis, labor, dolor, famesque dare possent, aut terra largiri. Tam gravi jugo pressi populi & oppressi, graviorem suis cultoribus Christum putaverunt, qui, ab eo, ad Mahumetem descivêre; non intelligentes, ipsa declinatione veritatis, ad crassiores errores provehi miseros, quibus, nihil unquam esset damnosius. Et hinc

quidem

quidem Saracenismus, seu Mahometismus, & vires & initium sumpsit, qui ex Asia, transiit in Africam, ut Europam adjiceret, uno omnes subjugandi desiderio. Multa mihi hîc dicenda forent, sed nota referre injucundum scientibus, nam & displicent nobis, quæ nocent; & dolet animus ad illa revocari, quibus percensendis unus labor, dolorque non sufficit.

10. Jam, ut ad quæstionem propositam perveniam, ostendamque omnibus mortalibus, pessimos esse Christianos, præmittenda fuit, quatuor valentissimarũ Sectarum, quibus regitur Mundus, justa divisio, ut Causæ noscantur, nempè *Gentium, Iudaeorum, Christianorum, Mahometanorumque*, ab his velut fontibus, aliæ opiniones manaverunt. Nunc ordine, ac viritim, ut dicitur, ducenda comparatio, à singulis.

11. Et primò quidem, non ita malè agitur, cum superstitione Gentilium, ut generi suo, à Christianis, velut ab hostibus leges accipiat Christumque sequatur, quem nos ipsi, tot erroribus, &

scele-

ſceleribus averſamur. Nec Ego dubito ſuperſtitioſam deorum inutilium idololatriam, à malis Geniis, hominibus invectam inventamque, etiamnum multis Mundi partibus latiſſimè dominari: ſed ita, ut Chriſtianum populum maximè obſederint: quis enim neſcit nefarios homines, noctis appellatione deſignari? Ibi enim obſcuritas eſt, ubi Sol Chriſtus ſuũ non effundit ſplendorem, nec animã virtutes irradiant. Et hujus quidẽ noctis ac tenebrarum, Principes ſunt mali Genij toties, quoties ipſemet homo Chriſtianus, tædio lucis ac Veritatis illos advocat, ſub libertatis titulo crudelius imperaturos, niſi jam imperarent.

12. Eant qui negant Genios non eſſe, quos humano generi adhibuit Providentia, qui definitis imperij ſui temporibus, tradant aliis hæreditaria ſerie, quod illis dederat ſæculum naſcens, mundiq; vertenda poſt centum annos conſtitutio. Verum Bonos illos fuiſſe, credidit antiquitas: at, qui ab initio fœdam rerum humanarum faciem expendit, & malorum, jam ab exordio Eccleſiæ Chri-

Christianæ venientium seriem intuetur, quis dicat Mundum Bonis Spiritibus regi, qui ex nefandorum numero, alternis imperiis sæcula regunt, suosque mores non repugnantibus mortalibus, inspirant. Cùm enim omnia regna, eodem sæculo, ingeniorum morumque similitudine haud quaquam conveniant, fatendum est, nostrum hodie sæculum infernalibus vel maximè furiis agitari, quæ nostris admixtæ dissidiis, sinistros hominibus affectus instillant, quorum deinde ministerio, formidabili in fortunas & Conscientias tumultu, omnium quietem & tranquillitatem concutiunt, atque in animas & corpora grassantur. Is enim est hodiernæ Reipubl. Christianæ status, ut nullis unquam sæculis, plus licuisse vitiis & erroribus, nocuisse pietati & justitiæ, doleamus.

13. Quis credat? pessimorum Geniorum indulgentiâ, meliorem esse Gentilium, quam Christianorum conditionem? cùm illi Dæmonas pacifice colant, nos DEUM & Christum, ut cruentam faceremus Pietatem, nisi turbulen-

bulen-

bulentis ingeniis, & transverſis odio partium affectibus, venerari non poſſumus. Translatus illic DEO debitus cultus, migravit in multiplicem adorationem dæmonum, qui, rituum ac obſervationum varietate, ex arbitrio ſimplices & curioſos animos oblectarent: &, ſi modò Idolorum cultus eſſet, pudebat Gentes idcircò concuti, ut una, alteri, DEOS ſuos obtruderet, cauſamque faceret inde belli ac diſſenſionis, unde quælibet ſuam ex privata & publica ſuperſtitione fœlicitatem cæteris invideret. Magnâ curâ celandi fuerant profani cultus, ritus & cæremoniæ, & DEOrum ſuorum etiam religiosè occultanda nomina, quę, ſi ad vicinarum nationum cognitionem perveniſſent, amittendæ religionis & Regionis metus fuit. Et iſtum quidem morem, maximè acceptum Romanis fuiſſe, & in arcana dominationis relatum, prodidêre ſeveriſſimi Scriptores, ne, ſi ROMA florere vellet, ingens illa Numinum variorum ſuppellex, augendæ potentiæ cauſâ, proderetur hoſtibus. Damnoſior

paga-

paganiſmo, Chriſtianiſmus: in quo, nunquam jucundius, quàm in rebus divinis, inſanimus, ſecretorum cœleſtium ſcrutandi libidine, vitæ & morum incurioſi, eosque lapſus humanæ mentis, ex fragilitate teſtes adeò non agnoſcimus, ut etiam oraculi loco habeamus, & obtrudamus cæteris. Obtrudenda nimirùm eſt etiam per violentiam opinio, nec magis periclitandum hominibus, quam in fidei Chriſtianæ articulis, quos ſcilicet homines fecêre. Quorum ingens copia & multitudo, jam pridem abradenda erat, ne in paucis videremur perdidiſſe operam, & ruinâ minori meruiſſe ſpectatiſſimę fidei mercedem. Gentilibus, non pro ſuperſtitione, ſed Regno certamen fuit, nec pro deorum cultu, ſed populorum acceſſione geſta & ſuſcepta bella, & certamina. Nos Chriſtianos, cum Regionis alienæ poſſeſſio exacuit, ſpecioſus Religionis titulus venit obtentui. O calamitoſam Chriſtianæ Reip. ſortem! quæ jam non tantum damnoſior, ſed & deterior Gentibus effecta, ſuum

in erroribus ſceleribusque, *Chriſtum* habet prætextum, qui, cum mitiſſimus eſſet & ſimilis Agno, nunc ad diripienda Regna, fundendas opes, & effundendum ſanguinem, ambitione noſtra & impietate, ſufficiatur ac ſufficiat.

14. Utinam audiant, de quibus querimur, & animis concutiantur, ut ſi non odiſſe ſcelera, ſaltem timere diſcant errores ſuos, quos reluctantibus humanis judiciis, quælibet Secta, ſub invidioſiſſimo Nomine, per vim mortalibus obtrudit, atque ſub pietatis larva, ſeditioſis ingeniis paſſim & ubiq; Chriſtianæ illudit *Concordiæ*. Mentione errorum facta, quid ſcelera conſecter? non prius reverſurus, quam per omnes hominum gradus currere deſierint. Jam ptidem, *vitiis omnia plena ſunt, plus committitur, quàm ut poſſit coercitione ſanari, certatur ingenti quodam nequitiæ certamine; major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt. Expulſo melioris æquioriſque reſpectu, quocunque viſum eſt, libido ſe impingit, nec*

furtiva

furtiva jam scelera sunt, præter oculos eunt. Adeò in publicum missa nequitia est, & in omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Vndique velut signo dato, ad fas nefasq; miscendum coorti sunt; ut jure Posteritas ignoret, qualis olim fuerit *Homo Christianus*, & quæ, ad verum magis, Religio nostra, an Gentilium superstitio accesserit.

15. Transeo ad JUDAISMUM, quid quæso ejusmodi videmus à Judæis geri, quod inter Christianos geritur? Quid illi pro Moyse non faciunt, aut patiuntur? Persecutionem, odium, contemptum, & tot sæculorum constans exilium. Quicunque hæres istius Nominis dicitur, nec tutus vadit, quo eundum est; nec ubi vivendum, securus habitat. Supra sortem humanam calamitosa Natio, cui unicum istud Gentilium furor, & Christianorum avaritia permisit, ut in afflictæ causæ solatium liberè posset lachrymas admittere, & quantum olim electæ genti & DEO dilectæ hodie decesserit, dolenter reminisci. Minora

Judæo-

Judæorum ſcelera ſunt, niſi illos damnaret *incredulitas* & *inobedientia*, alias ſeveri legis ſuæ ſectatores adeò nemo rectè dixerit, illos bellis ac diſſidiis furere, quos videmus inermes: Nemo litare luxui & ambitioni, quos ſuus prodit perditque contemptus & ſordities. Chriſtianorum iſtud opus eſt, collidi invicem aut frangi, mutuis armis & animis concurrere, invadere regna, excutere populorum quietem, nihilque inauſum & intentatum relinquere, quod ſuaſit ambitio, aut voluit habendi cupiditas. Impoſterum neque *Chriſtum* eo reverituri, ut pro illius gratiâ noſtram cum honore fortunam velimus perire, aut denique voluptates, quibus nimiùm quantum aſſuevimus, periclitari. Apud Chriſtianos, furta & latrocinia, & omnis ſcelerum dira colluvies, atque illa peccandi licentia, ſibi famam per dedecus ambiens, quæ omnia ſæcula infamat. Innoxius ſiniſtris opinionibus Moyſes, viget qualis ab initio fuit in Judæorum ſynagogis,

& DEUS, Rector Universi absque idololatria constanti reverentia colitur; quid ejusmodi dicendum de Christianis? qui *Christum* tam perditè tot proditis erroribus veneramur? inter ipsa solennia Ecclesiæ instituta, offert se oculis dira superstitionis imago, & ritus, quos nec Gentilis abnuat, nec difficulter respiciat Judæus. Inter festorum gaudia, quæ pietatis esse videntur, maximæ pravitatis spectacula sunt, sæpissimè verò atrocissimorum scelerum & professæ magnâ audaciâ nequitiæ quæsita occasio.

16. Stante etiamnum *Moyse*, CHRISTUS jam pridem cecidit, in multis enim omnino Christiana defecit Religio, nam ex fidei per tot fides, perfidia, nemo fœdissimis sceleribus subtrahitur, ubi quis clam vel apertè nefas committere in se, vel in alium constituit.

—— — Non hospes ab hospite tutus
Non socer, à Genero: fratrum quoq́; gratia rara est

Immi-

Imminet exitio Vir Conjugis, ille mariti.
Luridæ terribiles miscent aconita Novercæ,
Filius ante diem, patrios inquirit in annos.

nulli, nisi ex alterius damno quæstus est, felicem odimus, miserum contemnimus: majoribus gravamur, minoribus graves sumus: omnia perdita ob levem voluptatem prædamque cupimus. Non alia quam in ludo gladiatorio vita Christianorum *est, cum iysdem certantium pugnantiumq; Ferarum iste conventus est, non hominum, nisi quod illæ inter se placidæ sunt, morsuq; similium abstinent, nos mutuis cædibus & vulneribus satiamur.* Nos ergo prævaricatores sumus, Judæi tantum infideles vocantur, quorum tamen leviores excessus esse & scelera, arguit tortorũ & Carnificum defectus. Ad Christianos transiêre, quæ publicũ iratæ legis supplicium exposcunt, aut quod vocatur suppellex Carnificum: nam nec furcis & crucibus materies, nec terris spatium sufficeret, si digni plecterentur.

Quam ob rem nemini mirum debet videri, ſi natio Judæorum per ſe miſerabiliter affecta, cum noſtros aſpicit errores & vitia, obſtinato in Legem ſuam affectu, nec monitorem agnoſcat Chriſtianum, nec cupiat ſanitatem. Cùm orbis Chriſtianus, à ſeipſo miſerabiliter diſcedens, & pietatis ac juſtitiæ defectu, ſibi quam hoſti nocentior, jam ad extremum laboret, & ſi unquam aliàs, certè hodie *Gentibus prædicat ſtultitiam, & ſcandalum Iudæis.*

17. Quid jam de SARACENISMO ſive MAHUMETISMO dicam? tam nota hujus Virtus eſt, quam non ignota ſunt noſtra flagitia, quæ Cauſam Mahumeto præbuêre, ſi non fidem, certè Virtutem quærendi, ut fortem populum, ab ignavo ſcerneret, cujus ſucceſſivis temporibus felicitatem, videret orbis gentilis, & invideret Chriſtianus. Providedat in nova ſecta condenda humani generis inimicus, Regnum ſuum cum contentionibus ac diſſidiis durare non poſſe, idcirco ejuſmodi Legibus providit

vidit

vidit concordiæ, ut etiam firmaret potentiam. Satis diabolo fuit, si Alumnis suis, & suæ sectæ sectatoribus, unam sine disputationibus & controversiis credendi omnia necessitatem imponeret, & ex rigidæ Legis custodiâ, unum parentibus formaret Dominum & firmarentibus dominium. In quo, nihil magis ridiculum arbitrantur Turcæ, quàm adversus suos insolescere, sumere arma, & bella exercere, non quibus Mahometismus vincat, finesq; imperij sui provehat, sed quibus debilitetur, cædatur, ipsisq; inimicis exhibeat acerbi, nec citò transituri doloris, gratissimum spectaculum. Cum ista nos Christianos magnopere delectent, quæ, consanguineo cruore saginantur, & immensis quæruntur periculis. Mirum est, mores & ingenium Barbarorum tantopere à Christianis infamari. Necesse est eos, in plurimis maximè offendere, quod omnes nos ita afficiat, ut penè nemo sit, qui immanitatem illis & tyrannidem hactenus non exprobrarit. At, si concepta offensæ aut aversionis ratio, veri-

tate diluenda eſt, ad noſtram ſævitiem haudquaquam comparata, facile in excuſationem veniet Turcorum crudelitas. Sub iſtorum ſiquidem regno, an magè tyrannide, & tutius homines habitant & felicius, nam neque ſupra modum, quem ſemel dedêre, auctis oneribus, aut ſicut apud nos, adhuc in dies augendis gravantur, & quòd maximè mirere, Sectarum diverſarum reputatione, ſua cuiq; in rebus licitis & honeſtis, agendi credendiq; permittitur libertas, ut qui hanc cæteris jam permittunt, à Turcis eam eos hauſiſſe virtutem poſſit omnibus videri.

18. Si de Primogenitis eſt quæſtio, quos, illi in robur & firmamentum potentiæ aſſumunt; iſtud, nec ſemper exigunt, nec ubique. At quæ iſta eſt crudelitas, filios ignavorum in Virtutem exacui? imò quæ noſtra ignavia, & ſimul ſcelus, non providiſſe melius Parentibus, quos eruere, eripereque ab hac tyrannide, jam pridem etiam ex obligatione Chriſtianæ fidei, oportuit. An non major illa apud Nos Imperantium

tium ſævities, quæ infinitis cruentarum exactionum tabulis, titulisque ſubjectos quotidie populos affligit, ut jam ærumnoſos cum prolibus parentes, vel alias ſedes errando quærere, vel ambitioſas fores mendicando pulſare, aut fame omnes interire, ſuprema cogat neceſſitas? In iſto calamitoſo ſtatu, nemo profectò erit, qui non malit, unius prolis jacturam ferre, quàm omnium interitum intueri; atq; facilius unum aureum nummum in capitalem conferre cenſum, quàm tota exui ſubſtantia. Ut jam non ſævos, ſed benignos dicamus, qui tam acerbum conſilium dant, vel dedêre, & quos atrociſſimæ egeſtatis, non movet, niſi in agone, ſpectaculum. At barbarorum crudelitatem adauget nota in captos ſævitia: verum non Turca ſolùm ad poteſtatis ſuæ ſive neceſſitatis obſequia mancipiis utitur; ubiq; terrarum, & in orbe Chriſtiano, illud receptũ eſt, ut Captivos exagitet bellici juris furor, à quo, Turcas & Saracenos abſolvit, illa Chriſtianorum immanitas,

quam ingenti navigationis beneficio, exercent homines Christiani, cum ex venditionibus & emptionibus humanorum corporum, quamquam Nigrorum plus Plutoni, quam Christo lucrantur. Nec in homines tantum, ab hominibus Christianis hactenus sævitum, sed etiam in DEUM, cujus immensa beneficia ita in ingratos crevêre, ut abundantiam cœlestem homines invideant, hominibus, non plura cupiunt, quàm capiunt Naves; quicquid ultra natum est fructuũ & aromatum, igni expiandũ est, inq; fumum potius abeant, quam usum, scilicet ut beneficiis DEI, gratior & quæstuosior sit scelerata navigatio. Proh DEUM immortalem! ubi Gentium vivimus, aut quem jure appellabimus barbarum, si eo furore in DEUM, hominesque & res creatas grassatur homo Christianus?

19. Quod si ad illa venire necesse est, quibus dulcissima quædam spes ditescendi, avarissimis mentibus imposuit in periculorum solatium; certè non

alias

alias naves inter infidos ſcopulos, ventorumque minas & maris procellas ferri videbis, quam Chriſtianorum: qui ingenti avaritiæ fervore, non tantum fretum Herculis exceſſêre, ſed etiam quæ humanam cognitionem ſuperant, omnes incognitas terras & inſulas, ſtagna, lacusque pervaſerunt; ut jam ſupra propheticam Veritatem ſit hæc in aura captanda, & auro capiendo ſolertia, cujus gratiâ, *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in omnes fines terræ naves & vela eorum.* Placidioribus vehuntur aquis Barbari, & neglecto Oceano quamvis minus quæſtuoſa illis, tamen ſecurior navigatio eſt; quod non ita pridem pari inſaniâ excurrere cœperint, ac didicerint grandioribus velis & carbaſis uti, noſtris artibus, hominibusq; debent hanc prædandi peritiam, ad quam exacuit illos, non diſſimilis quæſtus, & in parandis vel evertendis commerciis, nata in aliorum damnum, utilitas. Artes quibus Chriſtiani adverſus Chriſtianos utuntur, vel meminiſſe culpa eſt, non ſolùm pudo-

pudoris injuria. Societas enim illa, & mutuus adversus hostes Nominis Christiani consensus, jam non apud Christianos, sed Turcas quæritur: quæ cum perniciosissima sit ipsis sociis, fovet tamen hanc pestem & auget infatuata Christianitas, ut vix absque ea conspici ferat; arboribus illis non absimilis, quæ, ut adhærentem muscum nutriant, proprio succo exhauriuntur, & noxiâ charitate perdunt ramorum venustatem. Profectò non est Christianitatis pars, iste ardor, quo, in vetitam fertur societatem barbarorũ, ut etiam leges amicitiæ constantius contrahat; sed vitium avaritiæ, quod, si tollas, valentior & fortior erit adversus Turcas, seu Saracenos Orbis Christianus.

20. Nunc attendite homines Christiani, vestris certe adminiculis, ecce quid in miserrimæ & afflictæ Christianitatis cervicem conjicere cupit, immitis & immanis damnatorum spirituum conatus: Turcismum certè & Saracenismum nostra opera & discordia ita in altum

tum extulit, ut quid cum illo decreverit totum per illum effusurus furorem, nemo Bonorum est, qui non intelligit & metuit. Siquidem divisam laceratamque per tot Sectas Christi Servatoris tunicam, post oppressa tot præjudiciis humana judicia, per Regum & Principum immensum luxum & cupiditatem, seditiones populorum, excussos aut concussos odijs ac dissensionibus Cives, Regna collapsa funditus, alia tantum nutantia, Legibusque parere subditos nescios, aut nolentes, ni benignius aliquod Astrum respexerit, brevi Rempub. Christianam Civili sanguine inundaturam, ut tanto facilius concedat barbaris. Ejusmodi enim ista sunt omnia, quæ, & vindictam Dei jam pridẽ exacuunt, & præter oculos omnium *Gentium*, *Iudæorum*, *Saracenorumq́;* labuntur, ut ad eorũ conspectum, non prædicti tantum populi exhorreant, sed Deus quoq; & ipsa Natura ingemiscat, quod soli *Homines Christiani* inter omnes Cives & incolas Mundi, atque singulorum mortaliũ cœtus, electi

 sint

ſint in Theatrum calamitatis, in cujus ſcena, infinitis *Actibus*, artibusq; uno repræſentarentur compendio; *immanes aræ, crudelis Pietas, damnata Iuſtitia, jugis avaritia, multiplex libido, Regum cædes & funera, Regnorum diſſidia, Iudicum artes, Præſidum crimina, viduarum gemitus, pupillorum lachrymæ. Luxus inexhauſtus, immenſa ſuperbia, inſana convivia, inutilis ſuppellex, veſtium pompa, barbari mores, peſſima educatio, injuſta bella, infauſta conjugia, literarum inſania. Eccleſiaſticorum ſcandala, ſæcularium ſcelus; Aulicæ vitæ tempeſtates, Bonorum naufragia, Iuvenum impetus, ſenum laſcivia. Aſſentatio in Principes, furor in miſeros, ubiq; impotentis affectus varij doli, artes, factiones. Ficta amicitia, theatrorum ſpurcitia, artium delicta, veritatis pericula, virtutis ſupplicia.* Verbo: IMPIETAS, INCREDULITAS, ATHEISMUS, hoc eſt: absque Chriſto, Chriſtiani. Ita ad ſupremum faſtigij ventum eſt, errorum & vitiorum.

O Christiani! infamia Nominis;
O fœda labes, & nota temporum!
O turpium turpisve causa &
Exitus! & pretium laborum!

21. Ergo, ut jam vidimus, & *Gentiles* cum Dæmonibus conveniunt, nec ob variam cultus idololatrici differentiam invicem colliduntur. *Judæi* quoque cum Moyse pacem perpetuam colunt, & quamquam ejus causa gravissimè à Deo, & hominibus premantur, non solvuntur animis. Et *Turcæ* sivè *Saraceni*, Alcoranum cum suo Mahomedo amplectuntur, nihil extra illum, nisi Regnum in terris quæsituri; satis ad salutem putantes, si uni Tyranno pareant, nec arcana imperii vel religionis scrutentur. Res mira! Solis *Christianis*, cum CHRISTO non convenit, quid facturi eramus, si *Virgo Maria*, plures genuisset? siquidem cum hoc unico, *primo* & *novissimo* tam difficilis est conventio? *Christus*, quem Servatorem suum credunt Christiani, licet dissensiones & scelera, verbo suo & exemplo vetaverit, & ut omnium pelleret tenebras, &

cæcitatem amoliretur ex animis, luce Evangelii Mundum universum illustrarit, tamen ex partium odiosis studiis, hoc nobis lumine carendum est, &, quæ Dei, & Christi tantum beneficium est, *Charitas*, litandum à tot sæculis æternæ discordiæ, cujus maleficio jam eò perventum est, ut abeunte in perfidiam & adinventiones humanas toto Christianismo, & sua jam sacra abominanti, (nam quis cum sua secta contentus est?) Christi Redemptoris immensa gratia, omnibus sit pœna crudelis, quo, quid immanius dici potest, quid unquam atrocius? & tamen tam verum est, quam immane & atrox. Nam si omnem Christianum orbem percurras, hominumq; in eo Christianorum mores & opiniones intuearis, nullam unquam abominationem desolationis majorem fuisse, facilè deprehendes, ut jam omnium statuum statum etiam per somnium vidisse, sit quoddammodo mortalium consummata calamitas.

22. In hac acerbissima malorum nostrorum recitatione, ad DEI & Christi ejus

sti ejus recurrendum est Clementiam, quæ, si tanta est, ut nolit damnationem scelestorum, nostrarumque rerũ omnium faciem velit meliorem, tunc sine dubio, in reducendis Christianis, plus laboris consumptura est illius Bonitas & Providentia, quàm in Gentibus, Judæis, aut Saracenis convertendis. Ita planè si averso cœlo, & scelera nostra aversanti, DEUS justa ultione sua, communem orbis sollicitet interitum, ista, ad Gentiles, Judæos, & Mahumetistas non pertinebit ruina.

Nos è tanto visi populo
Digni, premeret quos everso
Cardine Mundus.

CODICILLUS III.

Causæ omnium malorum, mãla Educatio, cujus gemini fontes, & duo principia.

CUM per vastissimum Reipublicæ Christianæ Theatrum, causam malorum nostrorum quæsiturus oculos circum-

circumfero, occurrit illa mihi famosissima *Circes*, Mulier famosa, quam, nisi Ulysses & sociorum illius detexissent errores, fortassis Christiani non novissent homines. Et jam propè perierat Meretricis memoria, nisi illam regina *Opinio* revocasset, quæ, formâ & ingenio ex ipsa disciplinarum corruptarum accessione, non ad turbidos tantum affectus, sed etiam ad brutales sæpius actiones homines impellit. Magnum ad Virtutem incitamentum, non aliter nosse, ut ferè externam pulchritudinem, cum toto apparatu necessario oderis, si nō aliunde agnoscas, quam dulci fascino mortalibus illuserit. Tot Viros venefica noxiis herbis & filtris mutavit in belluas, ut se homines fuisse vix sentiant, & rationis minimè recordentur, quorum ipsa oblivio morbus est, sicut venenum ipsa institutio.

2. *Institutioni* siquidem debemus omnia, quæ, virtutis jacturâ, studiisque audacioribus naturam superare contendens, imitatisque multis operibus, quæ non minori artificio, sub variis formis admira-

admirationem pariunt, æquavit & vitiis. Enimverò quæ Naturâ veniunt, & ad quæ, proprio genio instruimur omnes, ad nequitiam non satis est se sibi tradidisse, nisi à Docentibus acuatur peccandi licentia, ut non tantum malos efficiant, sed & perditissimos, arte & ingenio. Quis enim oculis & auribus tantum hausit scelera, ut alieno exemplo per illa perspicilia non illicò transmiserit in animum? &, postquam peccandi facta est consuetudo, quis cogitavit reverti? quam, non solùm hominibus conciliat hominum improborum societas, sed etiam quicquid circa nos agit aut patitur pessima educatio: quæ, cùm varia sit ac multiplex, non studia tantùm sed & mores multipliciter variantur, & diversis exercentur cupiditatibus, opinionibusq;, quæ, non ideò laudantur, quia sapientius animum humanum discruciant, sed quia perniciosius damnosiusque insaniunt. Quorum certè omnium, non tam ipsorum hominum, quam instituentium passiones sunt, quas, procedente ætate amovere, nec diu sibi

constans

constans Natura potest, nec temporis curriculum; nam haud avelluntur ab illarum rerum opinionibus, ad quæ professionis ipsius aperta scientia, vel occulta vis, scientes & nescientes impellit, siquidem in verba Magistri jurandum est: quorum tanta ubique authoritas, & simul arbitrium, ut ingenia pro suis, nisi turbatiora, non agnoscant; & illa optima habeantur, quæ communem pacem & concordiam affligunt; & in ipso contentionum quasi tempestatum tumultu, quantum possint & quantum audeant, ostendunt; quoties rixa magis placuit, quam Veritatis inquisitio. Ita morum & ingeniorum corruptela, non tantum à pravis Naturæ affectibus, sed & à Præceptoribus incrementum accipit, ut majoribus incendiis fomes sit. Nam si Naturam corruptam, successu temporis depravatæ etiam institutionis exerceat studium, quid in mundo facturam putabimus, cum ad nequitiam erudita, adoleverit & ingenio? siquidem quos prona *Naturæ* inclinatio vitiosos fecit, & ingeniosos reddidit *Institutio*: Illicò istorum

istorum animos ad rixas & contentiones armabit studiosum odium, ignobilis ad discordiam affectus: nec frustrà viros occupabunt scelera, quæ pueri suxêre. Verum esse, nõ improbat exemplum, & experientia; nulla enim Christiani Nominis familia in Mundo est, quæ, domesticos suos odio & aversione aliarum non à teneris imbuat, iisque jam inde à primis Annis placitorum suorum semina inserens, promovet cum vitis; quæ, ubi radices egerunt, haud facilè cum adultis evelluntur, ut vero verius sit illud:

Quo, semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu - - - - -

3. In tam varij, ac multipliciter à se ipso dissentientis Monstri, in varias non ibimus partes, nec diversas persequemur Institutionum artes & disciplinas: ad duo duntaxat fontium capita reducendum erit, tantorum in orbe Christiano malorum profluvium, à quibus, tot errores & vitia ortum suum trahunt, atque illa nata est *regina opinio*, quæ, vivendi,

vendi, decernendique leges præſcripſit hominibus, tot annos aſſueta dominationi, tot accepta ſuffragijs, ut quaſi omnibus decipi placeret, ita illi libenter omnes obtemperant. Nempè THEOLOGIA, & JURISPRUDENTIA eſt, quarum præcipuus honor & authoritas, ſcientiæque ſacræ & profanæ principatus. Hærebit ad nomen vulgus, ſed hæreat opto totus mortalium cœtus, & illi, qui ſupra vulgum ſapere videbuntur. Sine dubio Charitatis reum dicent, & ſapientiam noſtram cavillabuntur, quod communem animorum morbum, maximis & ſanctiſſimis imputaverimus ſcientijs, nimis crudeli audaciâ. Alij usque ad ſermonis intemperiem exardeſcent, quibus nimirùm amica & ſtudioſa omnia miſcendi & carpendi conſuetudo. Alij in injuriam ipſam, ut accuſationem fulciant, proferent teſtes, ſacras ac divinas utriusque facultatis appellationes & Nomina; indicia in numerato erunt, *ſacri codices, Pontificum canones, Cæſarum edicta, fundationes, Leges, jura, placita Gentium & populorum,*

lorum, atque alia multa, ne quid, quod crudelis delatoris aut calumniatoris perniciem morari poſſit, excidat memoriâ. Verùm, quicunque illi fuerint, quos noſter perfricabit & monebit Mercurius, non ſunt ex prudentia facturi, ſi ſe perſtrictos dicant, pateatque noſtris queſtibus & querelis, eâ ipſis convenire, quæ animadverſione digna ſunt. Rectius fecerint, qui ſapere voluerint edocti *ſpreta exoleſcere*; *ſi iraſcantur, agnita videri*, & ſi miſeræ & afflictæ Chriſtianitati, Viri contentioſi, in ipſo reſipiſcentiæ uſu, ſuo ad virtutem & meliorem mentem regreſſu, non invideant ſanitatem. Nos pro veritate feciſſe quis non videt, nec diſſimulaſſe Cauſas orbis laborantis in eo, dum nocentes Artifices, & ſuſpectas officinas prodidimus. Quod jam extra noſtrum propoſitum occurrit, nihil eâ ſorte nobis quoque videtur acerbius, quàm utriusque facultatis diviniſſimum Nomẽ infamari; neceſſariasq; humano generi ſcientias vocari in crimen. Idcircò quicunque ſequentia legerint, ne dice-

re poſ-

re possint, in immeritum literariæ institutionis beneficia cecidisse, doleantque nimio ingenij usu fastidivisse felicitatem meam, ibo in Nomen aliud, à quo neque abhorreat Bonorum ratio, neq; non libenter admittat turpissimus divinissimarum facultatum abusus.

4. Quam ob rem, pro *Theologia* & *Iurisprudentia*, substituemus imposterum TECHNOLOGIAM, & JURIS-INSANIAM, quarum altera, tot sæculorum contentionibus, subverso Christianæ Pietatis studio, primò vulneravit, posteà etiam prostravit Christianam CHARITATEM, cujus in primæva Ecclesia, flagrantissimus in DEUM & proximum affectus, Lucis instar *Concordiam* & unitatem omnibus contulit, in quos effusus est, nec nisi bona collaturus, aut ostensurus in animis fidelium adhuc emergit, nocens nunquam aut lædens, doleat licet, vel excandescat. Altera, defectu humanissimæ æquitatis, sublato necessario inter homines commercio, humanam quoque sustulit inhumanè fiduciam: tanto utrobique

dissidiorum certamine, ut excusso penitus fidei fundamento, non absque scelere ac dedecore, jam neque DEO credamus, neque hominibus. Illa, veterem moribusque gravem *Theologiam*, vanæ vestivit Philosophiæ frondibus, eâ enim est hodiernorum Technologorum conditio, ut Theologiam periclitari existiment, nisi illam acutissimis Philosophorum terminis, velut stipitibus, jam jam senectute casuram, fulciant. Neque imprudenter *Plato* & *Aristoteles* inter Christianos admissi sunt, non tantum ut Catechumeni, verum ut Doctores, ac cæremoniarum Antistites. Invident viri sapientes, sanctissimæ professioni suum decus, vultum rigidum, moresque simplices & severos; illo jam colore opus est, qui ab ætate vivida solet impetrari, & ne senio confecta videatur, calore recenti animanda est, ut fusus in rixas & cõtentiones per tumidas venas sanguis effervescẽs, ad omnes excurreret; quo hodie passim fervet Christiana veritas, ut quæ restat pars ejus debilior, usibus humanis propemodum

modum vix serviat. Ista, quæ, nomine *Jurisinsaniæ* venit, non minus audax & perversè ingeniosa, cujus æquitatis sit, ostendit damnosa fascinatio, quæ ad suam rationem & sensum, etiam invitos & exacerbatos Judices impellit. Enimverò quid sileat, quidve loquatur; quantum venustissima interpres de suo addat, vel tollat de alieno ingeniosa artifex, ostendit intricatissimum Artis subdolæ & iniquæ studium, imitantis Dædali solertiam; quæ labyrintheo velut opere, & sudata litigantium calamitate, tot infinitis *Recessibus*, *Definitionibus*, *Decisionibus*, *Disquisitionibus*, *Causis*, *clausulis*, *instrumentis*, *Digestis*, *Bullis aureis*, an & ferreis! *Extravagantibus*, *Canonibus*, *Codicibusque*; nempe inextricabilibus infamatæ scientiæ gyris & cuniculis, ita divinam humanamque irretivit & circumvenit Justitiam, ut nec Theseus, nec Diabolus facilem exitum inveniant. *Justitiam*, Astræam dixêre veteres, inde nomen unde & origo jam Astris illata, jure suo tantis ingemiscit injuriis. Hæc, si terras dignare-

gnaretur ſubmotoque oculis faſcino, quod, non fruſtra illi affinxit antiquitas, tam infinita partus ſui diviniſſimi monſtra intueretur; caderet exanimis, & ſibi reddita, ſi ad ſydera non pateret regreſſus, eligeret potius malorum Geniorũ, quam ejuſmodi ingeniorum contubernium, malletque cum dæmonibus, quàm hominibus converſari, quo, nihil dici poteſt acerbius.

5. *Technologiam* & *Iurisinſaniam*, dixi, ut à divinioribus abſtraherem Nominibus, ita harum ſtudioſos appellabo *Technologos*, & *Iurgiſtas*, ne illis ex putativa injuria, & apprehenſione gravis ſim aut moleſtus hominibus, quibus, publico & privato Bonorum judicio, ſua adhuc durat & laudatur cum integritate pietas & juſtitia, & qui ſemoto rerum humanarum reſpectu, & Authorem Univerſi ſincerius colunt, & facilius reddunt, quam ſcribunt hominibus Juſtitiam. *Technologia* cum Technologis, & *Iurisinſania* cum Jurgiſtis, hæc nobis otia faciunt, an negotia, ut contra nitemur. Geminæ certè facultates, ſed

quas ad invicem, & affectuum conformitas, & naturæ ſimilitudo ita conciliant, ut nec variis opinionibus, nec falſis præjudiciis, in diverſa ſpargantur. Nam odiorum Cauſas, nullus ex conſuetudine contentionis improbat diſſenſus, quia morum corruptelam continuò excuſat idonea excuſandæ nequitiæ facilitas. Geminæ facultates, quæ, quamvis appellatione & ſtudio diſſideant, uno tamen Pacis odio miſcentur; ambæ enim animo & ingenio feroces, ſolo fine differunt, quod altera Conſcientijs imponit, altera fortunis inſidiatur, utraque prædatrix, ut ſalutis cauſam, & poſſidentis quietem, decidat aut diripiat. Nam qui *Technologiam* hodie audiunt, & velut Dominæ obſequuntur, etiamſi ſe voluptatibus immergant, & in omne ſcelus animas proijciant, vocari poſſunt Chriſtiani, atque cum blaſphemis & parricidis, ſine quæſtione, ſalvari. Quo modo? nimirùm magno generis humani exitio, inventa eſt alia ad felicitatem via; facilis illa quidem & expedita, ſed quæ ad deſtinatum ſibi termi-

terminum haud pertingit. Maxima enim pars mortalium, cum per sanctitatem vitæ illuc ascendere recuset, in *sola confessione fidei* tanti itineris quęrit compendium. Illac etiamnum plerosque ad Cœlum ascendere videas, securos quid faciant, dum se sentire probè existiment, & in maximâ cæteras res scrutandi libidine, vitæ & morum incuriosos. Non est itaque mirandum cum tanto major sit ubique ingenij, quàm animi cura, si nusquam jucundius, quàm circa divinarum rerum sensum halucinamur: nec jam contenta secum pervicacia, ultra audaciam processit opinio, & simul impietas, siquidem ut fœcundis rationibus, ita contumeliis spontè laborant homines, & ille habetur subtilior, qui in Deum contemptu & inusitata blasphemia atrocior est.

6. Rationibus Theologiæ, an Technologię novis, accessêre haud dissimiles partes, artesque *Iurisinsaniæ*, quibus, totum Corpus Juris, vecors quidam jam pridem Spiritus exagitat, ac membra secum singula,

inteſtino planè diſſidio committit, ut inextricabili jurium omnium materia, prius vitæ finem, quam æquitatis invenias. Certè, ſine quibus nec ſalvari, nec vivere poſſumus, eorum breviſſimum debuit eſſe compendium, ut omnes intelligerent, quantam ex ignoratione neceſſariorum ſtudiorum jacturam ſubeant mortales, ſi vivere vellent, aut mori. *Credendorum* rationes breviſſimè Apoſtolorum definivit Symbolum, ita *faciendorum* aut non faciendorum pauciſſimis expreſſit divinus Decalogus; unde verò jam tot moles divinorum humanorumque jurium, unde in ſalutis noſtræ, & commodorum noſtrorum perniciem tot jurgiorum non jurium formulæ, de protrahendis Litibus fallaciæ? tandem de abijcienda penitus Conſcientia? quæ, iſtorum Sapientum ſententiâ perrarò negotiis aptari poteſt, quia rigida nimis, querula, & mortalium quieti inimica. De Corruptionibus non multum dicendum, munera enim ab iis, qui præſident litibus, non incommodè vel inconvenienter

ſumun-

ſumuntur: mitigatur ſiquidem muneribus ſeverus animus, & benefactoribus nocere, quis audeat? *Idcircò inagendæ litis controverſia, præter munera nihil vident Iudices, ad illorum pondus, obſiſtente licet lege, flectuntur; & iniqui malunt videri, quàm ingrati.* Procuratoribus Litium, ex ejusdem Jurisinſaniæ præſcripto, parci æquum eſt:

A Bove majore, diſcit arare minor.

Scilicet à minoribus Juſtitiæ Alumnis, illud equitatis auxilium expectare, quod major non permiſit aut docuit authoritas, videri poſſet ridiculum.

7. Quis jam non videt, quàm potentiſſimum atque efficaciſſimum ſit utriusque facultatis, ſicut ad lites & contentiones augendas, ita ad cudendam fortunam ſubſidium: idcircò deſertis utiliſſimis aliarum artium diſciplinis, maximus ad Theologiam, & Jurisprudentiam concurſus eſt. Undecunque veniant aut oriantur, huc tenditur, & quos, de Cœlo quoque cecidiſſe putes, hic laſſi cum *Phaëtonte* ſubſiſtunt, ut

immanissimi casus memoriâ, ne doleant, egeantque? Theologiæ vel Jurisprudentiæ studio persanentur. Lucidissimæ facultates! istarum enim lumine, etiam obscurissimi suam lucem mutuant, sed cujus fulgor fuligini proximior, etiam nives faciat nigrescere, & si in tanta ingeniorum caligine quęras miraculum, videbis pro Lazaro, Asinum suscitari. Pulcherrimæ facultates! nisi pro legitimis partubus, tot monstra dedissent, à quorum aspectu meritò fugias, quamquam videantur delectari hac novitate spectatores. Fœcundissimæ facultates! nec steriles baccarum fructibus, inde tot Baccalaurei prodiêre, quorum hodie per orbem major seges est, quàm urticarum. Inter hos, alij tuta ignorantiæ suæ præsidia in titulis quærunt; alij fortunæ eventus inter aliena volumina speculantur. Doctores futuri, non qui meliores, sed subtiliores, & quibus nulla est cum plebe communio, cæterisque sublimiores, & quasi supra natantes infra se vident, quodcunque alii supra caput suum, aut captum extule-

extulerunt. Hinc tot CLARISSIMI *Viri*, & si credas maxima de se jactantibus, antequam fulsissent, Mundus indistincta mole jacebat, &, *tenebræ erant super faciem abyssi.* Ut imposterum velo nobis opus sit, qui nisi claritatem suam fecerint oculis nostris tolerabilem, facile tantæ lucis opprimemur gloriâ. At frustra Theologia & Jurisprudentia lucem suam communicant, atque tot argumentis pietatis ac justitiæ causam perorant mortalibus, si Alumnos suos & Clientes, ad modestiam Christianam non componunt, qui sacros divini humanique Juris Latices, felle velut admixto, adeò amarulentos effecêre, ut plurimis utilior videretur rerum altissimarum ignoratio, quàm assumpta ex dignitatibus scholasticis claritas. Quamquam nec Theologiæ ista, nec Jurisprudentiæ noxa est, sed qui hos sine delectu sacros fontes accedunt, rixosi, queruli, graves & superbi, & quibus meliora & saniora infesta sunt; quos justè appellare possis bellorum semina, regnorum pestes, non minus, quam

immanis vitæ tetras imagines, & spectra furoris, de quibus melius inferius.

CODICILLUS IV.

Abusus studiorum, quales Viros dederit Orbi Christiano.

POsteaquam initio statim Christianitatis, coli in mundo meruit divina SS. Theologiæ professio, & æstimari cœpta, nobilissima Juris humani prudentia, ex utriusque merito pretioque, ambæ dignæ visæ sunt, quas exerceret & veneraretur Respublica Christiana: utpotè sine quibus nec æternæ salutis curatur negotium, nec ambulat Regnorum felicitas. Idcircò magnopere æstimati fuêre, utriusque facultatis cultores & mystæ, ob professam in DEUM Pietatem, & terris redditam Justitiam.

2. Gemina professio, ne confusionem

nem admitteret, tanta curâ providerant Patres, ut averterent illum temporum & vitiorum concursum, qui spiritualem hominem cum sæculari jungeret. Cujus discrimina, non à verbo DEI tantũ acceperant, sed etiam ex mundanarum rerum ignoratione vel contemptu, studiorum suorum mœstitiâ rigidus fervor judicabat, ut sua munia *Clerici*, sua *Laici* officia explerent. In utraque enim facultate plura inveniuntur, quæ ita inter se discrepant, ut non magis monstrosum sit, in unum corpus convenire diversas animalium formas, quàm in uno vivendi instituto, mores sacros, cum profanis misceri. Ista, (quemadmodum recensui) ne sociarentur aliquando, magna prudentia fiebat delectus & gravis disquisitio, quibus commitenda esset Sacrorum cura, & divinorum professio, quâ, nemo unquam præclarè functus est, nisi qui se totum, laboremque Deo, illiusque honori resignavit.

3. Juvat reminisci, ut memoriam delectet differentis vocationis discre-

tum ſtudium. Summa enim temporibus illis, in Viris divinis erat Pietas & Concordia, fuga honorum, bonorumq; atque eâ ſolertiâ agendi, quæ Cœlo, non Mundo acceptiora eſſe ratio vel devotio oſtenderat. Divina, nocturnaque mandatorum DEI meditatio, pellebat fabulas & ſocordiam, latebat avaritiæ, cupiditatis & ſuperbiæ coërcita perverſitas, & quibus ignibus profanus luderet amor, fervor divinus excluſerat. Commendabat illos utique, & ingens vitæ integritas, & ipſo divinitatis ſplendore modeſtia. Nam & ambitioni & voluptati frænum injecerant, neque illis parcebant facultatibus, quas, ſicut prodigere fas non erat, ita impium negare pauperibus, aut publicis neceſſitatibus Patriæ. Cauſa miſera afflictaque, & quæcunq; ab illa naſcuntur, preces, ſordes, gemitus & lachrymæ, non offendebant nares, aures, vel oculos, ad alienas ægritudines flecti faciles, licet veſtium morumque ſevero rigore, ferrea duceretur conſtantia.

4. Ea ratione comparatis plurimorum animis, non deerant qui frequenti præconio, divinæ artis & instituti studium mirificè commendarent, dicerentque: Viros istos omnibus honoribus majores esse; utpotè quibus, ex severâ Professionis disciplinâ, nec Sanctitas, à DEO aliquid impetrandum, nec Sapientia, ad consulendum hominibus deesset. Idcircò constantissimis pietatis officiis, magno Principum ambitu, & populorum desiderio, ad regnorum consilia, renitentibus tamen ipsis, vocabantur: nec primò infeliciter cessit negotium, plurimos enim in Aulis morbos abstulêre, quos, Politicorum hodie haud ignotæ artes, prolixâ curâ, an verius neglecta, avellere non possunt, aut nolunt. Sed fortunatos successus, cum invidit, non diu tulit infernalis Genius, cujus jam pridem aversa mens in hominum salutem, sensim cœpit filijs DEI, filias hominum commendare; hoc est; terrenorum gustu à cœlestium meditatione avertere; ut qui jam Principibus

ex officiorum sedulitate chari esse cœperant, eos vitijs & erroribus immergeret. Itaque versa rerum facie in Regum & Principum negotiis, ut sua quærerent, diu ac variè implicavit ambitio, nam ex publico munere, primum facti sunt spectabiles, posteà etiam imperiosi, ipsis Regibus imponentes, unde tutum per scelera fecere sceleribus iter, & facilis inde ex uno errore in alium transitus. Verùm ea adhuc ætate, quantum nocuerit Ecclesiæ, Cæsaris favor & liberalitas, pauci adverterant, data demum aliquot annorum patientia, non obscurè ea vitia & scandala emerserunt, quæ tanquam in lucem edita sua adhuc sæcula infamant, ut nostrum jam everterint.

5. Eâ temporum felicitate, non deterius vixêre, quos, ex virtute & ingenio humani juris humanâ celebrabat prudentia, ut verissime Causarum Patroni vocarentur, & Clientum tutores. Siquidem Viris istis, Christianorum Areopagus, nihil habuit integrius: jus suum cuique tribuebatur, plaudente

ipsæ cœlesti Justitia; latebant artes delationum, & Præsidum crimina, nec pretiosum in rebus anxijs dubijsque consilium. Ipsa Judicum severitas incorrupta, quam gravitate oris, cum Justitiæ Symbolo ad plebis conspectum ferebant, in privato æquè retenturi.

——— — — latuit plebeo tectus amictu

Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.

Sed enimvero quanto pecuniæ dispendio, postmodum adeundi essent Clientibus Patroni, tempus edocuit; apparuitque illa, per tot vaferrimæ prudentiæ artes, & in quærendis honoribus & pecuniis sagacitas. Quamprimum enim ad necessaria Regum & Principum consilia acciti sunt, & rebus publicis ac privatis interesse jussi, quasi signo dato, fas omne rupêre: quippe graduum honorumque respectu, acervandi & prodigendi opes, civilis quædam necessitas fuit, pristinique Status pudor, ne si facultatibus parcerent, ex modico & modesto servorum comitatu, inferio-

rum fortunis patereutur ſe æquari. Inter multiplices Regum curas, prima illos cogitatio habuit, quid in ſuorum commoda, & in ſua ſolatia conferrent: quantum vanæ gloriæ & famæ concederent; quid congererent in Amicos & Conſanguineos, non inutiliter adhuc hodie fatigantur, providi ſui ſuorumque cultores: quod niſi ab omnibus fiat, ſplendoris collati putatur proſtitutio. Altera cura, ut auream & argenteam ſuppellectilem, & æquatam Principibus familiam augeant. Res mira! quam, mecũ plurimi expenderunt: ſcio me è Regalium, Ducaliumque Miniſtris, aliquos notæ fiduciæ Viros compellaſſe, & cum longo conſeſſu, aut etiam hilaritate, delaberentur ex publicis, in privatæ vitæ ac officij rationes, ſive in Dominos injurioſi, ſive in fortunam crudeles, ipſi felicitati maximè exprobraſſe, quod pro tantis laboribus in annuum cenſum, vix 400. aut 600. imperiales taleros referrent, aut ſaltem inani Charactere fulcirentur. Niſi ignarum animum,

mum, facilesque aures, multiplici fabulâ, ludit ſcenica narratio, credendum fuit, cum firmaret illam etiam authoritas. Et tamen iſti, qui, tam curto ſalario iraſcuntur, ſuas capere expenſas non poterant, cum ſemper ſupereſſet, quod non tantum in homines conferent, ſed etiam in canes, aves, pſitacos, currus & equos, qui inutilem, & mobilem ſubſtantiam circumferrent: & jam ut videmus, in uxorum, filiorum, filiarumque, veſtes, gemmas, & ornamenta, tota Pax, & Belli formido translata eſt. Quorum omnium ratio reddi haud perdifficile poteſt, quibus conſtabit, eos, non Principum tantum Artifices eſſe, ſed & pauperum Creatores. Iſthinc noviſſima ſolicitudo eſt, ne artes impoſterum facilè prodantur, quæ, ſanè tantis debentur authoribus, non autem illis, qui Regnantium cupiditatem, ad modica aut ad nota compellunt; vel rem ſuam & familiam, mediocritate circumſcribunt.

6. Nec

6. Nec cuiquã mirũ videri debet, quod divini humanique juris cultores, tanta ſe ſupra alios ſuperbia extollant, quia iſti tantum præſentibus temporibus, tanquam Rebuspub. neceſſarij, à Principibus quæruntur. *Occaſio, ut fures facit, ita quoque ſuperbos.* Ambitioſis & plusquam ſatis eſt aliena ſolicitudine pinguibus, eviſuit inſtitutum illud, quod habet SS. Theologiæ profeſſio, aut Jurisprudentiæ ſtudium: ſiquidem nihil antiquæ probitatis, ac æquitatis reſtat, præter inane Pietatis nomen, & hiulca Juſtitiæ definitio. At iſtarum pretioſiſſimarum Virtutum jactura, non ita omnes affecerat, ut ab omnibus damnum videri tunc potuerit aut notari; nec ita animos occupaverant errores & vitia, ut ſtatim excellerent. Nam ut Virtus ingens rara eſt, ita etiam rarum ingens ſcelus. NATURA, ex operum ſplendore famam ſibi ambiens, *tempore*, cujus nexu omnia generantur, ab inſtituto deflectit; ut portenta, niſi expectato ortu, omen timoremque faciant mortalibus: idem decernendum

de moribus, rarò enormiter peccant, nisi tempus cum occasione accesserit. Sufflaminabat prætereà exorbitandi audaciam, Potestas major, vim inferens; nec magis pro se, quàm populis solicita; pudebatque plurimos à recto descivisse, postquam plerique nobilium familiarum Viri, severiorem vitæ rationem secuti, virtutis suæ exemplum fecissent, & vitam Principibus, populisque approbassent. Magna Virtutis necessitas sanguinis commendatio. At posteaquam promiscuè & absque delectu, homines etiam obscurissimi, addo, & stupidissimi Sapientiæ Palladium invasissent, atq; è fœce vulgi, illa occupassent in Aulis & templis subsellia, in quibus sola tantum Virtus præsidere consueverat; non poterant divinissimæ humanissimæque professionis distincta cum hominibus studia, invicem non misceri, atque susque deque ferri *Theologia*, & *Iurisprudentia*; unumque esse Clericus & Laicus; Miles & Sacerdos; Rusticus & Nobilis. Nemo enim facilè videbit in ijs animis Virtutes enasci, in

quibus

quibus femina Virtutum Natura exclusit, & quos, sensim pervertit prava in rebus divinis & humanis opinio. Cum enim istorum tot honoribus facultatibusque nimiùm quantum intumuisset animus, sicut pristini Status & consanguineæ paupertatis poterant ex superbia oblivisci; ita quoq; ex fastidio pietatis, divinæ humanæq; professionis, non videbantur meminisse: siquidem ignobilia capita, vehementer afficiuntur sortis illius novitate, quæ, plebem miserè abjectam, tanto honoris & facultatum intervallo infra se intuetur: quo in statu, *virtute relicta*, satis fuit eruditionis supercilium assumpsisse, &, non qualiter viverent, sed quo modo dicerent, meditari; quando nequaquam bona mens, sed bonum ingenium quæritur. O insigniter dementes! qui hos, velut primipilos secuti, atque veris animæ bonis destituti, inaniter superbiunt; quia illis potiuntur, quibus, non efficiuntur meliores: mentiuntur ista, quæ ita possidentur, ut cum affectib. Principum, quando volunt, abeant: quorum

favor

favor & gratia, ſi quosdam hodie evexit, fulgur fuit, cujus perpetuum fatum eſt, lucere, & breviter videri; aut Solis quidam radius, quem, vix nube emergentem, urgens & circumſtans vapor obruit.

7. Ita ut præmiſimus, benevolo Principum affectu, & indulgentiâ tandem ex ambitione & avaritiâ derivata morum corruptela effectum eſt, ut Clericorum & Laicorum ſtudia impunè mutuo miſcerentur, conceſſum eſt duobus contrarijs, ut jungerentur liberum ſpatium ex choro, in forum; & contra, ingens è foro, in Chorum, tranſitus; quo abuſu, & licentia jam unum Corpus facti ſunt. Nam inprimis Clerici, iterato ſæpius divinorum uſu ſanctitatem profitentur, nec à ſæculi tamen ineptiis abſtinent, ſeu Chorum meditentur ſeu Forum; ubique ſequi faciles ſive ad publicos Eccleſiarum cœtus, ſive invitentur ad Choreas. Haud diſpar Laicorum in ſacra furor & licentia, ſi illis libet, licebit, ſanctiſſimorum Majorum prudenti-

vocarã

vocare in judicium, decreta convellere, festa & jejunia cum precibus indicere, dare leges & Cæremonias, bona Ecclesiastica dispensare, ut dubium Orbi fecerint, illud ne melius certiusq; in fide, sacrisque, quod profani tanta contentione statuunt, an quod pridem Ecclesiastici possedêre. O portentum nostræ ætatis! quis veterum unquam credidit, tam invicem contraria ac dissimilia uniri hodie potuisse.

8. Quum igitur ita secum conveniant, ut sive Curiones simulent, aut vivant Bacchanalia, simul illis consistere placeat, & promiscua dignitatis usurpatione uniri, ut una inter sæcularem & spiritualem sit mixtura: appellabuntur à Nobis imposterum Homines CHIMÆRICI, sive AMPHIBII, donec ipsi sibi nomen aliud faciant, aut saltem inveniant. Nam qui istorum hodie Statum percipit, dicet illis verissime aptari, quæcunque sub fabula Chimæræ lusit antiquitas. In quâ sicut deformis forma, ita intoleranda DEO istorum vivendi formula, ut quæ Christi videtur esse

esse, videatur & sæculi. Nam sive templa, seu castra videas, idem sunt: nec minor vis & audacia Sacerdotis, quam Militis. Orant, jejunant, sacrificant, mox vorant, potant, helluantur simul & præliantur, ut palam ostendant: Christum summum Pontificem, Marti deo cessisse; an verius doceant, haud impunè Clericos lacessiri, quandoquidem nulla datur Potestas, quæ in illos jus habeat. Nihil in Chimæricorum hominum statu apparet, quod occupatione discrepat, unus pugnantium & deprecantium strepitus, nec dubia ab utroq;, Regnantibus damna aut pericula, ut jam paradoxum non sit, quantum Milites aut Sacerdotes; Clerici vel Laici possint, cum omnia audeant. Verissimo exclamavit dolore nonnemo: *O perversitatem nostræ ætatis! sic ergo sub Christiano Nomine, bacchanalia ante ipsas Aras agimus, cum in templo & foro, tot larvæ vultus tegant: ab cultu extremo quis deinceps homines noscat? quanta latent! quæ, si in lucem veniant, non lex, non Principum Potestas, non denique plebis*

bis iratæ furor, ſatis unquam vindicave-rit.

9. Amphibia ſunt, quæ duplici elemento ita utuntur, ut unâ facilitate, terras & maria trajiciant, nec tantum leves aut agiles ſunt, quia par in montibus ſubruendis, & campis effodiendis, fortitudo. Chimæricorum noſtrorum ſi Solertiam & Virtutem videas, jam non Amphibios duntaxat, ſed & ambidextros, ex dexteritate & fortitudine appellabis; in Caulis & Aulis, in Choro & Foro par ubique agilitas, & una in plebejos & Principes potentia: ut qui multa raraque de viribus & fortitudine animi ſcripſêre, ab his, traditis & acceptis fortitudinis præceptis, dubitare neminem ſinant, quicquid in orbe robuſtiſſimum eſt, Amphibiis hominibus poſſe accommodari. Ubique robuſtæ Virtutis ſive Cœlum urgeant, ſive terras premant; ſeu Altaribus ſerviant, ſeu Menſis. Quod ſi favores Principum aucupandi ſunt, nullis laboribus franguntur; ſi Virtus pro-

banda

banda in thoro vel convivio, fortiores reſurgunt, & nec quotidianis voluptatibus emolliuntur. Si injuſtus Regum dolor innocentes præcipitet, aut Virtutis & Veritatis amantes evertant aulicæ vitæ tempeſtates, rupi ſunt ſimiles, quam, nec frequens ventorum rabies, è ſedibus convellit; & quicquid in occurſum virorum iſtorum fortium venerit, ſive vox, fletus, ejulatus miſerorum, ſive alienæ miſeriæ, non ſine interpellatione contemplatio, fruſtrato impetu hebeſcent omnia, ut victores ſuos etiam Principes mirentur. Fortes profectò, qui, nec Regibus cedunt, & quorum robore nutant imperia. Libertatis ſuæ vindices! qui, in publico rerum humanarum tumultu, ubi trepidant omnes, ſupra timorem ſunt, nec vana ſpe feruntur in ea, quorum expectatio pendentes animos diſcruciat, omnemque præſentibus malis metum adimit, enata ex aliorum damnis & periculis, accreſcentis fortunæ æſtimatio.

10. Abſit igitur, ut ignavos imbellesq;

bellesque existimemus eos, qui tam prompti & faciles sunt in Christum, & Bacchum, Martem Veneremque, quam difficiles & morosi ad Pacem & Concordiam. Et, in quibus, illa vis animi ex spe improba opum adeò emergit, ut ad communem Regnorum & populorum tempestatem, ne quidem reclamantes, tam libenter inserviunt, ut cladibus publicis ultrò misceantur. Ego nunquam nutantes aut cadentes animo observavi, nisi cum propriis malis, aut aliena felicitate premerentur. Nam quicquid alijs concedit Principis benevolentia, sibi ablatum existimantes, mirum est quomodo fortitudinis suæ obliti dolorem & imbecillitatem signis quoque prodiderint. Quod tamen fortitudinem illorum minimè infamat, cum tanto violentius in eos consurgant, quos ita honorari aut donari à Regibus viderunt & inviderunt, ut non sine clade prosternant.

11. Frustrà fictis gloriatur Gygangantum reliquiis Sicilia, nam jam passim eorum intuemur Corpora, quæ,

nimium

nimium quantum suâ gloriâ creverê, ut jam non Poetarum commentum, sed ipsam veritatem, credat nostra quoque Posteritas. Et ita quidem corruptum SS. Theologiæ studium, & adulterata Jurisprudentia, longe aliter virorum fortium Campus est quam Trinacria; à quibus, nulla venit gloria, sed æternum dedecus, quia turpius infamari non possunt infelices scientiæ, quàm, quòd ejusmodi portenta Mundo ediderint. Profectò geminas istas in orbe Christiano facultates innoxias nemo dicet, nisi qui dolebit, earum Alumnos ac discipulos potentioribus armis destitui, quibus, post expugnatas terras, & terrarum Dominos, Cœlos, superosque Gynomachi invadant. Nam cœlum quoque jam nostra petit stultitia, quo, licet omnis mortalibus sit interclusus aditus, fingimus tamen nos eo ingenti contemplatione pervenisse, quo, nec Viri quidem sanctissimi, nisi exuti Corporibus pervenêre. Ecclesiasticus status multum distat à sæculari; & homo forensis à religioso: quorum iste quietis ac lu-

cis Dominus, ille procellarum ac tempestatum mancipium; sed quoniam hodie ambo ita ad utrumque nati sunt, ut cum sua illis Pax aut Lux displicuit, subire tenebras cum cæteris possint, & servato spiritu, ijsdem mergi & volvi turbinibus, quis utriusque usum & ingenium, abusu non damnaverit? Meo sane & omnium Bonorum judicio, non debebat in Rempub. Christianam ejusmodi cadere confusionis perturbatio, ab iis, quos divinæ & humanæ sapientiæ Mistas, & arbitros, adoravit Mundus, & exornavit professio, ne exacto cœlestium Judicio, dicantur omnium primi divinam patientiam lassavisse.

CODICILLUS V.

Quale Monstrum ediderint Mundo Viri Chimærici sive Amphibij.

BEllatricem *Minervam*, statim ut è Jovis cerebro nata est, hostes, à partu quos interficeret ingenio quæsivisse, fabu-

fabulam nemo jam dixerit Chimæricorum, ſeu Amphibiorum noſtrorum ſcientia, quæ humani ingenij fœtus eſt, ab ipſo ortu inſtitutionis ſuæ inquieta, & jam tot certaminibus quaſi prælijs infamis, poſtremum demum ſæculo, in lucem edidit ſimile ſibi, hoc eſt; Chimæricum ſive amphibium Opus. De quo, ne multa, ego objecto hoc partu, per quem, tot Reges & Regna, atque populi cum Civitatibus cecidêre, ad artes primum, quæ propè oculos fallunt, poſtea ad hiſtoricam narrationem, cum admiratione deflectam. Quæ, vix fidem apud Poſteros inventura eſt, quicquid n. atrox, triſte, funeſtum prioribus ſæculis, ex morum & inſtitutionum corruptela ab impietate inventum eſt, ſuperat omnia *Monſtrum* præſens, quod, niſi oculis ſubjiciatur, ipſa narratione ſuſpicionem immeritam faciet, difficilesque ad veritatem accipiendam animos vix percellet, quia niſi ſolitis partubus, & à communi lege fluentibus, homines non credunt.

2. Et fortè fortuitò, ut in necessariis contingentibus fieri consuevit,

Locus in orbe fuit medio latissimus umbrâ.

in quo, haud insanâ pridem Poetarum conjecturâ, ac miserorum testimonio

Terribiles visu formæ, lethumque, dolorque,

Luctus, & ultrices posuère cubilia curæ.

augebant loci horrorem, projecti hinc & inde ex ossibus humanis (quæ multa illic jacebant) tumuli veteres & recentes, & ne pereuntium novissimi gemitus audirentur, dolorque miserationem posceret, ad atrocitatis adumbrationem, voces, clamores, questus & ejulatus, jam in acutum tonum elevati, jam velut desinente Naturâ tantum spirantes, & ad horrorem altissimo intercisæ quandoque silentio. Isthic in medio, inter atras cupressus, funestas arbores, frondes, herbasque nocentes, vastissimus eminebat tumulus, nec sine celebratæ artis miraculo ita in acumen elatus, ut jam non depressæ molis, sed altissimæ

tiſſimæ Pyramidis ſpeciem præ ſe ferret. Terſum & politum opus, & quale *Cariæ* mauſolæum diceres, atque magna artis induſtria conſpicuum, monſtrabat aliquid triſte ſub eâ lapidum congerie, & ſub funeſtis frondibus deliteſcere, ut in maximi doloris horrorisque memoriam, plusquam ſuam, & ſudaſſe & laboraſſe putentur Artifices. Horrida ſubtus ſpecus fuit, in quâ undante fumo, per multa volumina humano nidore acerræ ardentes nondum exſpiraverant. Inter funebres ornatus, quibus pretium augebat ex varia miſerorum oppreſſione magnum vitæ odium, ac doloris atrocitas, erant ruta, papaver, apium, aliæque herbæ, quas, in defunctorum ſuorum parentatione lugens admittebat antiquitas: augendoque timori, quæ arcanum celarent, intertextis per parietes noctuis & bufonibus, plurima mortis imagine antrum horridum feneſtabant. Nullum iſthic foramen, quod, funeſtras faceret, ne per illas Solis lumen aſcenderet, umbrasque diſcuteret, theſaurorum præſides. In abditiſſimo ſpelæi loco,

ſurgebat Ara modica depreſſaque, quam Diti ſacram faciebant, quotquot volebant diteſcere. Humanis ibi victimis litatum fuiſſe, monſtrabant recenter fluentes ſanguinis rivi, & proſtrata ſine diſcrimine ſexus tot hominum cadavera, quæ, faventibus cæremonijs non amovere religio fuit; ſive ut inſtaurandis novis quotidie victimis locus ille purgaretur, ſive verius, ut talia paſſuri breviter monerentur, fruſtra eos vitam ſalutemque ſperare, qui à violentia ſe tutari nequeunt; nec miſericordiam apud eos valere, qui Plutoni faciunt.

3. Non caſu at induſtria in hunc locum Amphibij homines & Chimærici Senatores, tanto partu tumidi & prægnantes convenêre, &, ne prodigium per tantam annorum ſeriem, in ipſo ortu & alvo lapideſceret, inſtauratis ex more, non Lucinæ, ſed *Diti* ſacrificiis, hauſtoque ſanguine, Monſtrum infelix, cœlo gemente effudêre: quod, Leonem à tergo, à fronte vulpem, cætera ungues anguesque Gorgoneas ad amuſſim referret. Monſtrũ informe atque contrariis vitę actionibus & affecti-

bus

bus compactum , ut nec Argi infinitis oculis, nec celebrato Paridis judicio, videre queas aut cõjicere, an ad homines, vel dęmones pertineat. Prodigium istud Majorum ætas an viderit noveritq; non certum: hærente enim in animis tantum impietate, non se adhuc luci committere ausum, in obscuro latuisse, simplex Antiquorum probitas & sinceritas dubitare non sinit. Nostrorum istud temporum hominumq; inventum fuit, quorum cum maximum certamen esset ac gloria, se à majorum pietate & justitia expedire, in quibus illi magnopere sudavêre, ut deterioribus consiliis incumberent, & nescio quid humano ingenio majus in exitium Regum & populorum molirentur, ex omnium Statu & ratione scelus commenti sunt, & planè monstro simile, quod, sola monstrorum ferax Africa, genitoribus invideat. Non tulissent infelicem partum veteres, & horror omnes ac stupor invasisset ad primũ intuitum: & magna illorum pars, quasi non compos mentis in fugam conversa per tenebras Solẽ quæsivisset, incerta, an ultra luceret oculis, qui tam immane portentũ, & ingens cõspexisset. Ve-

Verum Amphibiorum nostrorum obstinatos in omnem superbiam & avaritiam animos, non movit tam nefandi partus spectaculum, ut etiam magnis contentionibus de eo comendo poliendoque disceptarent, & quem sexum, quodve Nomen huic monstro affingerent, irent in suffragia. Placuit peritioribus sapientioribusque ex humanissimæ Philosophiæ principiis, genus illi fœmininum quàm masculinum imponere, haud ignari latentis naturæ instinctibus & vi inclinationis tacitæ, Matres, in filios; Patres, in filias amore propendere: igitur humano ingenio non inhumanam adumbrarunt *Mulierem*. Verum, ne in solo sexu penderet tantæ rei felicitas, difficilis de *Nomine* controversia fuit; decebat enim Chimæricum Monstrum sicut non leviter ornari, quòd, & à recto multum aberraret, & partium turpi accessione probrosos redderent multi defectus, Genitores: ita quoque solemniter appellari, ne exciderent præsumpto in Regnantes imperio; in *Nomine*, omen rati, cujus sæpè

ſæpè tanta vis, aut opinio, ut multos ad alta provexerit rara appellatio. Ergo RATIO, divinæ particula auræ, ex vario hominum Statu accerſenda fuit in conſilium, cujus influxu, cum ſapientes ſumus, ad rem propoſitam pertinere credebant, ſi ex arcano divinæ humanæque ſapientiæ, celatis clam rationibus omni hominum ſtatui quicquid vellent, pellexiſſe, non impoſuiſſe viderentur; palam RATIONEM-STATUS placuit appellare. ô prodigioſum ſuper ipſum prodigium Nomen! infames homines! dedecoroſos Nomenclatores! qui à Virtutis inſtituto prorſus averſi, in id tantum hodie laborant, ut extinctis ſanioribus vitæ humanæ rationibus, ex illorum veluti funere, aut monſtra jam aut pecudes naſcantur: Plures enim horum Conſualia ſecuti, antequam ad *Rationem-Status* acceſſiſſent Viri ſapientes habebantur, poſt in bruta converſi ſunt.

4. Detecto Nomine, ad ornamentum ventum eſt, cum enim immane Monſtrum, neque ex forma, neque ex

Natura commendare auderent Viri Chimærici atque Amphibij, illud, inaudito artium solæcismo, nec incongruâ mollicie, ut fœminas decet ornavêre, ut omnium oculis facerent spectabilem. Quare, omnium primò sumpto ex vultu sui speculi consilio, formosissima Larvâ ferociam obduxerunt leoninam; caput & aures ornavit effusissima fictitij capillamenti compositio, post de singulis membris itum in suffragia; additæ pretiosæ armillæ lacertis, quibus vincirentur Reges & populi; angues Gorgoneas & ungues, celavit cum odoriferis chyrotecis in reliqui corporis conjecturam tunica simplex & talaris; à cubito usque ad brancam vestivit ingens artificium, ut solo mammarum lacte & veneno turgentium, ad papillas usque conspectu, in amorem quoque & satietatem invitaret spectatores. Non male fertur communi proverbio, *qualis Mater, talis filia*, &

Non procul à proprio stipite poma cadunt.

Non enim hujus ipsius Monstri, Parentes

tes formosiores sunt; planè portento huic persimiles, quibus sub capite humano, ferina membra sunt, nam quòd Rationis primum habere videntur, haud servant in progressu, turpiterque desciscunt à seipsis. Verum hic ostendit Amphibiorum nostrorum solertia, aliquid in illis hominis restare, dum hominem faciunt animal astutum & crudele, nec totam exuisse Naturam in Natura. Nondum enim omnem humanitatis sensum amisêre, qui, ita humani sunt, ut alienis miseriis palam ingemiscant. Sed mox velut circumducto circulo, redeunt ad gaudium. Nimirùm ne ferociam Leoninam ostẽdant, pellem vulpinam attrahunt, ut ex utriusque bestiæ Spiritu, seu doleant, seu rideant, temperent ingenium. Totum ostendi vetat RATIO-STATUS, ne videatur, quæ latet intus Bestia, propterea inducenda Larva est, cujus tanta vis, ut ex illa homo fingatur, aut pereat.

5. Et fortassè Nox densa fuit, cum istum in se fingendi poliendique

ſumpſiſſent laborem homines Chimæ-rici, nam diem odêre iſti Noctivagi, neque damnoſum eſt, eum ſibi quęrere fulgorem, quando cum Sole, ſydera deficiunt; hoc eſt: cum Principes & populi cladibus & tempeſtatibus involvuntur, *in turbido piſcandum eſt.* Si quid dies nocuit, habent ſuas pro Hypocrate tenebras, cum quibus ſumma eſt, cum iſtis ingeniis affinitas, ut mirùm non ſit, eas RATIONES-*Status*, interdiu latebris tegi, & ad lumen pavere, quarum primi ex impietate conceptâ Magiſtri in orbe Chriſtiano exſtitére: eâ Ratione diſpenſantes conſilia Statibus, ut ſe nefaria docuiſſe, negare poſſint, ſi vocentur ad Lucem. Expectanda igitur huic Monſtro exornando Nox fuit, cujus tamen tenebras exilis lucerna ita amovebat, ut nec totæ abſcederent. At, ne exigui luminis poſſet jactura metui, ſuas affinxêre ſtellas Cœlo ignobili, nam quicquid gemmarum oriens aſpexit, quicquid margaritarum conchæ effudêre, nocturno contulêre ornatui; non earum quidem copiam,

quæ

quæ ſpecioſiores lapidum cruſtulæ, aut conchiliorum recrementa vocabantur à Philoſophis, & quarum nulla quærendorum, & poliendorum eſt adhuc ſatietas: ſed iſtarum valorem & pretium, quæ fluunt ex oculis, atque ex rigore dominantium, continuo æſtu & ſudore, velut æterno gelu conſtricti roris guttulas exprimunt quotidie lachrymæ miſerorum: quas, ut purpuraſcerent, inauditis artibus fecêre ſanguineas, ut earum tincturam ipſa dives opum gemmarumque Regina Ægypti ſi viveret, non invideret *Cleopatra*; & pretium coloremque averſatus, amoris affectum in odium ſtuporemque transferret, amator & ſimul Imperator *Antonius*.

6. Poſt ornamentum colli monſtroſi & ignobilis, appenderunt auribus *Rationis-Status*, Inſulas, ſaltus, prædia, cum integris Regnorum patrimoniis, ut adhuc præter naturam videri poſſit, tanta onera geſtare poſſe cervicem leviſſimam, nec oneroſa ſit auribus tam pretioſa & ſimul ingenioſa, artis

pessimæ suppellex. Quid dicam de genis? has, ut candidiores redderent Viri Amphibij, nigris illas hinc & inde aspersêre corpusculis, eâ arte, ut quod ingenti labore, & exquisito factum est consilio, naturâ crederetur crevisse. O maculæ! quibus Reges & Principes infamantur, nec aliter possunt nisi subjectorum populorum damno vel cruore expiari, & tamen eam Regnorum calamitatem cum Chimærici isti suis Rationibus invexerint, ut pessimam causam amoliantur, DEO, & qui hunc negant, fatis atrocioribus transcribunt.

7. Decorem universum auxêre vestes pretiosæ & variæ, quas, Regum & Principum ingentes curæ, & Regnorum populorumq; maximi sudores contexuerunt, quibus inest illa ex diversitate parentium & imperantium varietas, atque ad oculorum animorumq; varium dolorem, surgens ex multiplici confusione Legum, velut diversorum colorum interstincta mixtura, si admisisset purpuram. At magna ratio fuit ab omnib. *Statistis* excludi amicum virtutis & innocentiæ

centiæ colorem, ne amotis formosis & fumosis prætextibus, pateret ad oculorum ludibrium, possessionis alienæ violenta usurpatio. Quam, in *Ratione-Status* ita prudenter celavêre homines arguti, ut jam nihil monstrosi in maximis monstris appareat; nam si aliquid immane, insolens, & infandum ac prętcr Status sui decorem, perpetrasset cum suis alumnis in regio habitu Mulier pulcherrima, curæ est, ne excidat memoriâ artificium, quo, sui monerentur cum DOMINA, *Status*, & moverentur *Rationibus*, atq; in maximis sceleribus docerentur abjicere verecundiam, mallentq; utriusq; formulâ, ingeniosi quam virtuosi videri.

8. Nihil ad venustatem satis, nisi quod dubitantibus amicum persuasisset speculum, in quo arcana vis, ut quicunque illud intuerentur, simul monerentur, ut hanc in formanda ornandaq; Ratione-Status, comendi poliendique artem sibi tantum facerent propriam, ne suspecta fides deformitati crearet periculum, si alienis manibus tantum

nego-

negotium crederetur. Idcircò nos imposterum ab artis eximiæ merito, & invento, atque à comendo quotidie adhuc & poliendo hoc Monstro, appellabimus HOMINES POLITICOS, quid ni & COMICOS? siquidem licet Politicis cum seria neglexerint, histrioniam exercere, atque abjectâ severitate, quam rebus arduis prætulerunt scenicis artibus Actibusque misceri, nempè si amœniores vultus postulat Principum hilaritas. Nullus Comicorum seu verset comica seu tragica, aptior ad utrumque homine Politico; nam sive verissimè rideat ex aliorum deceptione, sive doleat fictè in publicis calamitatibus, etiam severissimus orbis sicut nec advertere facile, ita quoque improbare vix potest ejusmodi voluptatem Regibus exhiberi, quorum, in hoc Politicorum Theatro regalis præsentia, ore calamoque potentius exemplum est, & æquum profectò, ut omnes homines id sibi licere autument, quod in Regibus & Principibus adverterint.

9. Quæcunque hactenus adversus

Regnan-

Regnantium securitatem, & quietem parentium, in comendis & poliendis Status Rationibus Politicorum nostrorum excogitavit solertia, illa penè nulla fuit, si comparetur sequenti, quia velut necessaria: supremam verò operam Monstro contulisse, etiam ex dignitate & Majestas est, ut ex utroq; stabilirent in omnes imperium. Igitur cum in ornamentum omnia contulissent, ornandum fuit Monstri fastigium appensis Thiaræ ac diademati Regum & Regnorum exuviis, ut habeat jam unde doleat aut erubescat convulsa Legum authoritate & excusso regimine prostrata Regum & Principum Potestas: ut si ruinas & vastitatem videas, quam Ratio-Status ubique invexit, desinas mirari, unde eâ Politicis facilitas solium Reginæ erigendi, nempè ex tot Regnorum ruinis, hominumque tumulis ossibusq;, ut possit dici *Thironus eburneus*. Nec imposterum deerunt Artifices, aut Martis Mortisque instrumenta varia, quibus ad stabiliendam infamis Monstri majestatem, aut eruatur aurum, aut admo-

veatur

veatur funus, Regnis & Populis jam pridem nutantibus, & in mutuam perniciem conversis.

10. Verum enimvero, ne illa omnia, quamvis maxime Principibus populisq; exitiosa, singulis pateant, in adumbratæ Clementiæ ac lenitatis signum, Monstrum hoc exitiale & tyrannicum, cauda tantum armaverunt vulpina, quæ, ex Politicorum prudentia, sine dubio ardori fœminino magis convenire videbatur, quam spata vel machæra. Quamquam non latebat Artifices fœminarum fortitudo, quæ sæpe in illis virilis fuit, & stupenda patravit: quod *Rationem-Status* attinet, certe jam longo ante tempore Virgilius magno sexus nostri dedecore, in *Amazone* ista, cujus viribus maximi periclitarentur Viri, celebravit fortitudinem, ut illius Virtute damnaret illam in nobis corporis partem, quâ Viri volumus videri. Et profecto quis *Rationem-Status* imbellẽ dixerit, quam, constat ita bellis cædibusque studuisse, atque etiamnum bellare ac præliari, ut ad pen-

sum

ſum lanamque Mulier fortis inepta ſit. Nam devictis populis, & Reges aſpernatur, provocatosque ſæpius ad prælium, victrix ſuis exturbat finibus, aut mulctat capitibus, poſtquam ſervos, aut captivos tuliſſet. Quicquid agit ubiq; ſecura, deſtinatum enim illi à Politicis non leve præſidium, quo, more, & faſtu Tyrannorum tutaretur ab inſidiis. Circumſtant Reginam, *ira, furor, dolor, pallor, proditio, ſimulatio, diſſimulatioque*, cum Carnificibus DISCORDIA & INVIDIA, quibus, haud deeſt funeſtus ſuppliciorum ad manus apparatus, funes, catenæ, fidiculæ, compedesque, ad captivandam Veritatem & Innocentiam: minores majoresque cucurbitæ, quæ, ſudorem prius miſerorum extrahant, poſtea vero etiam ſanguinem eliciant; varia cum tintinabulis crepitacula, ut earum confuſo ſono & conſtanti tumultu, excitetur quies & tranquillitas Regnorum & Populorum: denique Fungi & Spongiæ, quæ gazas Principum cum fortunis privatorum hauriant, & excluſo ſiccitatis remedio, in majorem ærumnarum memoriam,

accer-

accerſeant imbrem & pluviam lachry-marum. Profectò qui tam feralibus inſtrumentis ad fortunas graſſantur, cum aliis mediis progredi non poſſit utilis in ſcelera effrænis ambitio, ita armari neceſſe eſt, quoscunq; horum cupiditas vocaverit. Ab his velut levioribus inſtrumentis, crudeliſſimæ ſuppliciorum Miniſtræ, facili tranſitu cum ſuis Magiſtris, & quaſi uno ſaltu inigravêre in domos Carnificum, ut levioribus pœnis, majores adderent cruciatus, in quem uſum repperere Cruces, fuſtes, ignes, rotas, furcas, & ecquuleos, ita jam quod prius Maleficorum fuit ſupplicium, facta eſt amica *Rationis-Status* ſuppellex, ut conſtaret, plurimos non mitius, ad ſummos honores, & immenſas divitias perveniſſe, qui tam citò pervenerunt, de quibus, in ſequentibus.

CODICILLUS VI.

Rationis-Status Majeſtas, impietas, doctrina, divinatio.

IN tot publicis & privatis Reipublicæ Chris-

Christianę calamitatibus, nemo non videt, quàm magnum in exornando hoc Monstro artificium pretiumque consumptum sit. Nam pretiosissimis ornamentis, quibus, tantæ Reginæ fulget hodie Majestas, deesse non potuit illa, quæ affectus ad utilitatem permovet facilitas, vel accendit in publicam perniciem vehementia; ut nihil eorum, quibus ejusdem Dominæ, in mentibus humanis stabilire dominium, & impietatem promoveri crederent, de industria homines Politici, Statum Rationis indies polientes omisisse viderentur.

2. Quare augendæ potentiæ causa, solium erexêre, quod, lapsum vetando, rotunda globi terrestris sustentabat machina, ut scires versatili ingenio gubernari omnia, & qui Majestatem per obsequium fraudis firmavêre, non magis constantes esse, quàm sphæra est. Quadratus non absque mysterio throni ambitus, ut pateret, quicquid basi & fundamento Rationis Status nititur, aut sub eo nascitur, in quatuor mundi partes resolvi, nemo siquidem sub hujus imperio

perio innocens vivit, quilibet enim Status ſuas rationes habet, in quas majori ſcelere neceſſe eſt omnis homo incurrat ſi ad iſtud ſolium acceſſerit.

3. Poſteaquam confecto ſedula ſapientia throno, & firmato neceſſario præſidio, larvatum humanæ mentis automaton in ſedem Regiam collocaſſent, decenti quoq; Senatu latus ornavêre. Aderat altrix magnorum conſiliorum & guerrarum OPINIO, & prima omnium Miniſtra, hanc ſecuta, *vis pecuniæ*, & ruentis fortunæ habendi ac dominandi *Libido.* Majore niſu radios ſpargit Sol jam altior, quàm præſtat oriens majeſtas, certè tantis adminiculis ſociisque fortius aget in mundo Ratio-Status, quoties regiis auribus admovendum putaverit, quod lucem & oculos impediat, poſtquam jam pervenit ad ſummũ errorũ, & vitiorum. Quis Regum aut Dynaſtarum majori dominatione nitatur, aut colatur fidelius, non quærat apud ſe tot motib. ac diſſidiis concuſſus orbis Chriſtianus: nihil de *Ratione-Status* niſi Regium cogitare ſuadet cogitq; Politicorũ ingenium, & ſimul veneratio. Nam ut admi-

admirationi dedêre locum, primi omnium humi procumbentes adoraverunt proni & apronati, factum fictumve ex machina Numen; inter odores horridos variosq; nidores, orantes opum Reginam & artium Dominam, ut ſuis annueret Clientibus, & quas Reges & populi invidioſiſſimo ſinu ſcriniisq; poſſident divitias, ſuis largiretur Cultoribus, ut quàm longiſſimè ab illis eorumque Nepotibus recederet, malorum omnium graviſſimum, *Soror, bonæ mentis,* PAUPERTAS. In majorem veneratione͂, mactabantur in victimas inviſæ ſoli Noctuæ, & inimicæ humanæ quieti Aves ac animalia, quales ſunt *galli, anates, anſeres, hirundines, canes, feles, ſuesque.* Nam RATIONI-STATUS, quæ, pudoris legibus tenetur aliquo modo extrinſecus, æquè adverſantur lumen ac loquacitas, &, ut altius fallant qui illius præcepta ſequuntur, publicè proferunt cũ humanitate pietatem; ſtatim ac nihil à teſtibus metuunt, immaniter de ſuperis ac inferis loquuntur.

4. Poſt conceptas preces & effuſa,

vota

vota, ſubmurmurantibus ſuffragiis redditum ſilentium: ne infami Monſtro exprobraretur inſcitia, tunc primum locutum fuiſſe, ſtupebant omnes: at quid mirum loqui Vulpes & Leones? ſi Aſinos locutos fuiſſe & adhuc loqui & præſidere oſtendit experientia, ubi Regnum invaſêre pecudes ejectis hominibus. Dicebat autem hic, Ratio-Status velut artiũ omniũ Magiſtra & Imperatrix, ſi vellét audire Clientes, majora ſe, verioraq; habere, quàm habet Mundus, aut omnes noverunt ſapiẽtes, & cũ omnia ſine ordine cõtumelioſiſſime confunderet, frenderetq; potius & frangeret verba, quàm loqueretur, primam, quam articulatè emiſit vocem, ab impietate exorſa eſt, ut ejus ingenio, plurimi jam pietatem vetent, nec ſine ſucceſſu ſceleſti ſint.

5. In RELIGIONIS negotio (inquiebat) peſſimum ſervitutis illud genus eſſe, quo animus humanus cogitur incredibilia credere, & quæ, intelligenda eſſent rationabiliter de DEO, ita accipere ab aliis; ut nefas ſit ab iis recedere ſine inſimulatione credulitatis. Ita quemlibet

libet hominem naſci, ut jus ad rationem habeat: nec fidei leges juſtè nobis imponi ab iis, qui ideò ſolum ſapientiores æſtimantur, quia pridem vixerunt, & prius nobis nati ſunt. Idcircò permiſit ſuis Cultoribus indulgere propriæ *Opinioni*, & cum Politicos ſuos liberæ mentis homines, & fortiori Sapientiâ imbutos eſſe cuperet; voluit non eadem ſentire, vel loqui, quæ vulgus velut pro certiſſimis habet, creditque. Nihil *Politico* Viro reverendum, nihil ſanctum, cum de DEO loquetur, riſu invitet & invitetur; ludatque urbanitate verborum, ſcripturarum obtrectator. Impietatem omnem ſalibus condiendam eſſe, ut pulcherrimus ATHEISMUS, cujus horror eſſe poſſet, jocorum & blanditiarum ſecuritate ad guſtum vocetur, proculdubio animos occupabit fidentius.

6. Haud ſaniora protulit in gratiam juſtitiæ & æquitatis: injuſtiſſimè homines de injuſtitia queri; & implacabilibus odiis juſtiſſimè lites extendi, nam quo pacto verum effecerint illud:

vivitur ingenio ? Optima illa censeri tribunalia, quæ ejusmodi reos non vocant in crimen, quorum causa inopiâ nititur, & magis opibus quàm probationibus deficit. Atrocitatem sceleris, & illatæ injuriæ modum benè inclyto stemmate tegi, & injustè obnoxium pronunciari, quem defendit potentius fortuna, cujus favorem & judices sequantur, oportet. Satis reverenter haberi Justitiam, si doli tegantur, ne præsides litium videantur aliquid fecisse ad arbitrium: quæ, si exhibenda est, non prius dispensetur, quàm partes munerum persuaserint, quorum pretiosa conditio non inutiliter à justitia deflectit. *Munera placant hominesque Deasque*, in quorum admissione, ne æquitatem abjecisse vulgo putentur, *Uxores* substituendæ sunt; nulla suum infeliciter tentabit Maritum, qui Corpori Juris, corpus mulieris præferet, & leges posthabebit sanctissimo matrimonio. Frustra in impietate & injustitia, iram Numinis metui; alia est cœlestis, alia terreni Status-Ratio: dandum aliquid

Æscula-

Æſculapio, qui Medicus quoque ætatis eſt, ſi pœnitentia accerſenda, ſat temporis, cum eo Judex pervenerit. Poſtea totam Conſcientiam excuſſit, validis argumentis defendens, ſuas *Rationes*, illius *Rationibus* plurimùm confundi, proindè amovendam à felicioribus cōſiliis. Triſtibus ſuaſit ac ærumnoſis, proijciendam animam, ubi ad commodiſſimos miſeriæ exitus fortuna faventior impellit; quâ, formanda aut augenda, Status rationibus utendum eſt, quoniam tanto fructu in publicas & privatas utilitates redundant, quarum plurimæ, non poſſunt aliter quam vi, aut dolo retineri. Iſta velut præliminaria præmittere voluit, ut damnatæ doctrinæ ſeries pateret in ſequentibus. Nam poſtquam non ſine Numinis maximo contemptu, PIETATI & JUSTITIÆ, quibus firmantur Regna, & triumphant imperia, illuſiſſet; ad illa venit argumenta, quæ affligere & erigere ſolia poſſunt, Reges & Principes creari aut extingui, ut faveret Clientibus. Quam ob rem ad Regnantes ſermonem deflexit, docuitq; Principes

 regnan-

regnandi felicitatem, ex liberalium Artium diſciplinis.

Primò ex Præceptis GRAMMATICES, ſcilicet, ut in Regias curas & ſolicitudines, illos homines aſſumerent, qui malè *bonis literis* uti ſcirent, nec tamen abuti ingenio alijs viderentur, etiamſi modus Chriſtiani Regiminis ſuperaret *Barbariſmum*. Ejuſmodi in conſilium accerſendos, qui *Præſentis temporis* novitate, lepidiſſimis ſalibus & facetijs, *præteritorum* injurias, damna, aut pericula amolirentur, atque à malorum ſequentium aſpectu, regias aures, oculos, animosque prudenter averterent. Serio obteſtabatur Regnantes, ut ſibi magnopere caverent à liberæ vocis hominibus, atque eos, qui, ex *futurorum* conjecturâ, ſevero veritatis obſequio, Dominorum *verba*, malè *conjugant*; amoliretur ex atrijs & pulpitis jucunda & otioſa regiminis poteſtas; ſuæque majeſtatis reputatione Augurum iſtorum *declinaret* audaciam.

Secundò ſententiosè deducebat ex RHETORICA, non malè illis Miniſtris

regium favorem deberi, qui, in summâ quoque tyrannide & injustia, tam benè *Locorum* & *Troporum* cognitione utuntur, ut æquissima videri possint, quæ omnium oculis fuêre iniqua, quarum nulla alia inveniatur, nisi STATUS-RATIO. Verbis magnificis commendabat suis cultoribus, *Loquentiæ* studium, quasi certissimum inveniendarum opum compendium, quo, eruerentur illæ divitiæ, & obtinerentur regia beneficia, si in omnibus dictis factisque portentosis *Amplificationibus* studuissent & *Figuris*: loquentissimè Causas domesticas elevando, vicinorum & sociorum deprimendo, singula, eâ *laterum & virium contentione*, ut omnibus ex *Causarum visceribus* silentium imponerent, nempè quoties in stuporem actos & attonitos factus ex musca, Elephas detinet, miraculum.

Tertiò. Ratione *Præmissorum* laborat & *consequentiis* magistra DIALECTICA; istius Artis beneficio mirum in modum urgebat Principes, ne Perceptorum rationes propter multas *Con-*

quentias illam lucem fugerent, cujus ſplendorem in publicis negotiis, magniſque Conventibus & Comitiis poſtulat *Miniſtrorum* Ratio-Status: qualis eſt pretioſiſſima ſupellex, aurum, argentum, gemmæ, veſtes, & ad triumphi ſpeciem accedentes Currus, opumque illarum ac divitiarum rumor, qui Legatos reddit honoratiores, & ſine quibus, vix honeſtè expediri poſſunt, quæ præclara ſunt. Menſæ & convivia ſiculis paria, inſtruenda; accendendi ad oculorum voluptatem ignes, quibus integra privatorum patrimonia conſumantur. Et ad ſuos Alumnos converſa, atque ſubridens; augebitis (inquit) ſumptus, & Regibus omnia perſuadebitis, ſi à vobis, multis in ſpeciem prætextibus nectatur diuturnior ex difficultate quæſita expectatio. Procraſtinanda enim ſunt, quæ magis ſtimulant urgentque, etiamſi ultrò veniant & ingerantur, ut ex longiori morâ fortius ſentiant Principes, & Civitates obligentur cum iis, qui recepturi ſunt tantum beneficium, ex Miniſtrorum arbitrio pendere felicitatem & ſecuritatem ſuam intelligant;

gant;

gant;ac nisi pecuniis succurrant, Regna cum Regibus interire. Ostendebat novarum Rationum Magistra, omnibus argumentationum *Modis*, asseverando gravissime & suos assecurando Clientes, eos, qui ex istis aut ejusmodi *Præmissis* ita argumentarentur, certissimam in *Conclusione* sequi fortunam. Siquidem in congestos avaritiæ cumulos non modica pecunia inferri potest, qui, tanto apparatu, quærunt venustatis sibi, atque prudentiæ famam conciliare. Inferebat sagax & aucta DIALECTRIX, ut si quando ingentibus Legatorum curis, quas ipsi fecêre, obstaret solitudo neq; vacaret semper rebus propriis incumbere, possent commodè in domesticarũ rerum subsidium, maritorumque solatium, & voluptatum alternam diversionem, *proximis ac remotis argumentis*, accersiri cum pignoribus, Uxores, aut in earum defectu, nova *Cornuto Syllogismo* quæri conjugia, qualia nec ipsa vota suspirarant, nisi munus publicum *Procos*, aut *Maritos* fecisset. Adjiciebat his fecilicitatibus, quasi benè gestæ rei

 pretium

pretium non unum, debitas pensiones, & stipendia, regios favores & munera, officiaque, denique Arcium & Civitatũ Præfecturas.

Quartò ex MUSICA docebat canebatque, Politicæ Societatis harmoniam illos homines soluisse, qui Civiles Rationes-Status nollent admittere, & nisi cum *suspiriis* tolerare: nescio quid secum volvendo, dicebat: vel *fidiculis* revocandos ad concentum, qui, plus æquo curiosi, Regnorum & Rerumpublicarum arcana scrutantur, ut sentiant: & si ab humana abhorrent voce, neque cantare vel *tono* mediocri volunt cum hodiernis Politicis, discant ex illusa Regiminis injuria, ruditu crassiori, *ululare cum Lupis.*

Quintò. Bonorum Virorum ARITHMETICAM, quæ, in prædones illos invehitur, quibus, fœdissimo peculatu, cum summo Principum ac populorum damno, locupletari, præclarum stratagema habetur, magnopere execrabatur, & severioribus verbis ex Aulis & Castris jubebat illam exesse; miseros & infeli-

ces

ces Principes dictitans, si quando istam ratione *Perceptorum* & *Expensarum* vocarent in consilium. Magno firmabat sacramento, nullam ibi Ministrorum durare fidem, quos per dies & noctes affligit anxium reddendæ Rationis supplicium. Hæc cum diceret, substitisse paulisper & vocem suspendisse visa est *Mulier* dolosa, quasi ad calamitatis consortium & ipsa accederet, mœrorem suum significabat, justos Arithmeticæ calculos & rationes cum regulis *falsi* fodicando. Profectò in hac crudeli reddendarum rationum exactione (ajebat) in Reges & Principes ipsos cadit extrema calamitas, siquidem illius rigore, subruitur Principis amor quem Ministri præferunt, mox ex odio & metus: nam quid ultra timeant rationibus circumventi? Docebat in hac necessitate Clientes, ut ad Amicorum confugerent auxilium, quod, si abesset; permittebat illos recurrere ad ipsas hostilis Conscientiæ rationes, cujus sacramentum ad decipiendos Reges & populos nihil efficacius; simulandum fortiter

titer virtutem & integritatis gratiam; deducendi damnorum prætextus; tum acuenda quædam reputationis & innocentiæ necessitas. Qui Rationibus regiis desudant, priusquam ad reddendas vocentur, illis *Ratio-Status* necessitatem imposuit, fingere severius vultum, & mentiri furorem, ut credito ministerio, in suæ fortunæ incrementum uti possent acerbius, atque in eam sævitiem consentire, quam Principibus quoque præscribit impotentior cupiditas. Ejusmodi consiliis hortabatur incumberent, quæ rationibus suis Regnantes seriò de defectu pecuniæ admoneret: nunquam enim modestiores sunt Reges, aut fidelius obsequuntur Principes, quàm cum isto fulmine feriuntur: ideoque auctis in dies tributis, tanquam publicis necessitatibus minimè suffecturis, ita suas opes primum augeant, ut non tantum reddendis rationibus, sed & seris Nepotibus, sufficiant. Nulli placidè loquantur tanquam tota vita irati, & omnibus penè infesti qui ad illos accedunt. Hos verbis,

verbis, alios vultu, quosdam procrastinatione, plures silentio, ædibus suis exturbent. Siquidem rigidiores esse, ac omnia differre, ad privatam fortunam plurimum contulit, si scilicet victa petentium & solicitantium patientia eo devenerit, ut credat, se non pessimè haberi, si empta unâ parte, alteram remiserit. Isto utili simulatæ iracundiæ ludo, politicam prudentiam nemo facilè culpare potest, qui intellexerit, illam, eù modo & Principibus prodesse, & favorem populi demereri: quippè si vitio ut plurimũ humano, aut communibus nõnunquam calamitatibus, publicum contingit exhauriri ærarium, ad privata Ministrantium scrinia non infeliciter recurrit publica necessitas; à quibus, non pudet ipsos quoque Principes frequentissimè auxilium petere, & nummos mutuari non habetur sordidum.

Sextò. Ostensis utrinque comparandarum opum, ac tuendarum Rationum facilitatibus, demonstrabat ex GEOMETRIA, vastissima Regnorum, Ter-

rarumque ſpatia, in Aſia, Africa, America, in quibus, ſine Circo & Circino, poſſet excurrere & exſpatiari Regum & Privatorum cupiditas, & avaritia, cui Europa non ſufficit. Duriſſimis verbis flagellabat illam parendi neceſſitatem, quâ, ſupremis in terris Poteſtatibus ejusmodi imponitur moderatio, ut etiam Legibus, & Capitulationibus conſtet, & quarum rigida conſtitutio, vetat plura Regnantibus regna affectare, neque majus permittit imperium, quam quod humana ſolicitudo, & mortalitas ferre poteſt. Prædicabat voce regia votoque, regimen Monarchicum, quod in hoc ſolo atque unico, inveniatur ille rerum æquiſſimus ordo, ut is, qui teneret Imperium, Leges daret aliis, non acciperet, atque ſupremæ majeſtatis memor, ſe Solem in terris reputans ſuum Zodiacum, nunquam minoribus cederet ſyderibus.

Septimò. Ex MEDICINA, multum commendabat recentem methodum, & ſanguinis humani, damnata majorum lege, adeò vilem habuit parſimoniam, ut ad leviſſimos etiam turbarum caſus, non infrequenter eliciendum cruorem ſuaderet. Addebat, illos copioſiſſimis fortunis feliciter frui, & creſcere honoribus, qui deſpecta communi ſalute, *Martem*, tanquam Æſculapium conſulunt, ac velut in præſentaneum ſubſidium, illam in exemplum artem trahũt, quæ noxioſiſſima in innoxios incendia conflat, & quæſita occaſione, in fortunas & ſubſtantias graſſatur impunè, publicis & privatis funeribus. Et in iſta quidem curandi methodo, utilior eſt cognatus ſanguis, hoſtili; & Barbaro, Chriſtianus: præcipuè ſi Parentes, fratres, ſorores, & quoſcunque mori optes, vivere non ſinas, perdaſque phlebotomia aut veneno. Propugnabat venefica *Mulier*, Tyrannorum nunquam peccaviſſe Medicinam, quoties temperatioribus Corporibus ferrum admoviſſent, tantumque emiſiſſent ſanguinis,

quantum ſubtrahi ſubſtantiæ neceſſe fuit.

Octavò Diviniſſimum ASTROLOGIÆ, ſtudium, non videbatur *Rationi-Status*, ad Politiam aut Politicos pertinere, quod terrenorum poſſeſſio, non Aſtrorum ſpeculatio felicitaret Cœleſtium incurioſos: nec quidquam incertius, quàm quæſita fruſtra conſtantia & veritate, in mobili firmamento, cujus diſciplinas non prius exactè noveris, quàm cum eo perventum eſt. Ita ſolum juvat Elementorum noſſe qualitatates, pugnas, & mutuam in mixtis potentiam, ſi hæc ipſa, quæ in humanis ſunt, obſerventur in homine. Majoris momenti apud Principes debent eſſe ecclypſes animorum quàm ſyderum, quas, non advertiſſe, ſæpè fuit ſceptri periclitantis, ex populi defectione interitus. Idcirco monebat ſeverius Regnantes, ne illis quoquo modo excideret tam ſalutaris diligentia, atque ad plurimos uſus multum profutura (ſi ſaperent) obſervatio: diſcerent inſuper volven-

volventibus ſupra ſe Aſtris, terris immorari, neque enim quomodo ſurgat aut occidat Anima, ſed qualiter comparatur fortuna, *Ratio-Status* eſt. De Regno loqui viſa eſt, cum mirum in modum extuliſſet Aſtrologiam judiciariam, & illâ, totum ſæculi horoſcopum evolvens. Accerſebat Planetarum ordinem, ex imprimis SOLEM, cæterorum Principem, quem, omnes mortales jubebat ſequi, quoscunque ex aurea delectaret utilitas, ſed ſupra ſingulos, maximè ad auram & aurum aſpirare Hominem volebat Politicum. Poſtea advocabat LUNAM, & quos inconſtantiæ ſuæ voluit excellere ſigno, illorũ animis Planetæ hujus viciſſitudines impreſſit. MERCURIUM, longioribus Politicorum digitis attribuit, ut prolixo cupiditatis æſtu, gazis regiis inhiantes, ſcirent conſulto tempore petere, rapereque; loqui magnificè & magnifica, tandem ſecuriſſimè furari. MARTEM, permiſit furioſis, translata belli omnis formidine in ignavos. Joviales animos volebat JUPPITER, quibus, ex voluptatum aſſuetudine, perpetuam

&

& firmam etiam in mediis tempestatibus imponit securitatem. Ut putaretur favere Castitati, VENEREM, non jam ad turpis facti dedecus, sed ad verborum lenocinia transtulit, jussitque Alumnos suos propter vulgum, furere decentius, & in sua commoda blandissimè loqui. De SATURNO, pauca aut nihil, quod Planetam istum plus ad Hippocondriacos, quam politicos referri putaret, nec aliter suis prodesse Cultorib. quàm cum *Soli* jungitur: tunc brevi in eam opulentiã crescere egenã dignitatem, (ajebat) & magnis felicitatibus regna destinari; si Ministrorum plumbea consilia, & aureus Principum eventus, utriusque Numinis ex amicâ Martis conjunctione fortunaret concursus.

6. Copiosissimo argumento prænunciabat futura, evolvens omnes ætates, & maximos imperantium syderum Principes magicè evocando, decreta illa explicabat, quibus, (si credere fas est:) nullus hominum se absolvit. Vitiis natos, affirmabat frustra ad virtutes eniti;

ti: Reges, non necessario regnare; & quibus suas faces stellæ inviderent vanè ad gloriam honoremque contendere; atque istarum statuta ad Regna & Respub. transferri, quæ, in nascentes lata sunt.

Grandis hæc & varia Philosophia est, dignaque quam Politici tanquam ab oraculo susciperent, & cæteri tantum stuperent mortales. Magnum aliquid expecto, nam ne opticam neglexisse videretur Mulier erudita, sumptis ad manum Mathematicis instrumentis, observabat machinas, horologia, ventos, navigationes, atque plurimùm extollebat illos, qui machinationibus valerent, & omnium horarum homines scirent omnibus ventis uti. Tandem tubũ applicavit opticum, ut remotissimas specularetur à nostris aspectibus plagas, & illicò ad terrestrem globũ reversa, sumpto in manus Circino, cum illus longitudines latitudinesq;, & gradus clymatum expendisset, universas orbis partes perscrutata est: *Asiæ, Americæ*, & terræ incognitæ *Australis*; postquam ad mari-

tima & mediterranea *Africa* rediiſſet, luſtratis omnibus ſinibus, ſaltibus, lacubus, montibusque, ferventes in eo æſtu arenarum, quæ Oceani inſtar tot volvebant voluminibus noxios angues, atq; illa Monſtra, quibus ferax eſt, & infamatur terra infelix conſpexiſſet; ſubriſit: *Et majora* (inquit) *his inſectis venenatis portenta naſcuntur in Europa.* Quo dicto, terram infeſtam deſeruit, permiſſaque Barbaris licentiâ, pedem & operam tranſtulit ad orbem Chriſtianum.

7. Speculo iſthic opus fuit, unde Regnorum fata promeret, & quicquid occultante DEO & Naturâ tempus evolvit. Vitri artificium, neſcio quid ſupra artem divinum, oſtendebat amuſſata ſcientiâ, quicquid in ſe continent boni malique, Regnorum noſtrorum clymata, varios Principum & Populorum caſus, & caſura atque naſcitura Imperia, Rerumpublicarum definitos repræſentabat periodos; hominum maximorum exitus, & fortunæ

iratæ

iratæ ac propitiæ vultum, ut cum publicis calamitatibus etiam privatas explicaret miserias. Omnia & singula nimis ardua, & humanam cognitionem fugientia, quæq; alibi periculosè scrutantur, atque ipsis Regibus secretiora sunt, palam faciebat speculum: sed ita, ut penitiora sibi reservaret, & tantum ea proferret in medium, quæ, nobis tot funestis exemplis in memoriam revocantur, & quæ præsenti ætati conveniunt, ut ex calamitoso sæculo, Posteri quoq; *Rationes Status* sentiant, antequam agnovêre.

8. Quam ob rem assumpto in in manus speculo, oculos suos in confusò per omnia imperia circumtulit, velut incerta unde primum inciperet: sed, ne confusa speculatione desereret ordinem, Vitrum suum curiosa Mulier GERMANIÆ admovit, dicens: *Non meliori, at fortiori debebas te committere, qui posset ea omnia intueri,*

intueri, quæ jam nimis mihi tua cunctatione & ignaviâ nota sunt. Germaniam video, non Germanos, pullos GALLI, non MARTIS. Famosæ Paci, frustra tuum nititur imperium, cum illud tantum à Rationibus meis impetrabit, quod, inhonestæ prudentiæ cunctationes hostibus suggesserint. Hæc pronuntiando, severioribus Causis lachrymas admisit, ut nemo absque injuriâ *Rationem-Status* culpare possit, quod, in miserorum causis tam crudelis semper exstiterit, nunc melior molliorq;

liorque, adeò ſuaviter Germaros monet & increpat, ut ſimul feriat & maximè minetur.

Dato velut plauſu, converſa in ſpeculum POLONIAM aſpexit, & in illo Civilis Diſcordiæ theatro exitiali, ac patiendi neceſſitate quaſi illachrymans, joculari mœſtitiâ publicis doloribus illuſit: *Regnum* (inquit) *iſtud quondam inclytum, inter varias prudentiæ ſuæ rationes, hoc tantũ à benigniori fortuna accipiet, ut poſſit ſuis diſſidiis, experiri novum PRINCIPEM*

novas

novas Leges, alternisq́; velut sortibus, quandoquidem vix sui juris esse permittitur, suam ex Pannonia, Bohemia, vicinarumque Gentium solari servitutem.

Cum vicinas Regiones respexisset, admoto speculo, quam, prius excuteret, nescio quibus radiis perstricta, vitrum ex tot maculis & oculos abstergens, Solem Galliæ conspexit, inimicum Rationum suarum sydus, si proderentur. Fortunæ suæ periculum est, sinceritas: sicut veri periculosa Libertas,

profectò ita ſe hic habuit divinatrix Mulier, ut quæ dixerit feceritque inter Viros cordatiores referri poſſint. Nam tantiſper colore mutato captivi *Status* interno dolore oſtendit indicia, poſt exhibitis quæ tanto faſtigio debebantur, nec ſine omine, nec invita aſſurrexit Gallicanæ Majeſtati. Mox lilia liliis maritans, ſceptrum gladiumque addito ſymbolo intexuit: NOCUIT DIFFERRE PARATIS, grande in omnibus arcanum, ſi quisquam crediſſet. *Veniet*

(inqui

(inquiens) *tempus quo Gallia agnoſcat, quam benè ſua illi ſuaſerit occaſio: nihil eâ violentiâ jucundius, quam, ſalus omnium impellit.* Plura volentem, AUSTER, fatalis Liliis, prohibuit.

ITALIAM intendens, ad famoſiſſimi Imperij ludibrium, latera triumphalibus ſalibus concuſſit, dicens: *in eo iam ſtatu ſunt iſtæ Provinciæ, ut niſi ſubdantur Vni, fulciri non poſſint.* Admoto ſpeculo, FLOREM medicum Mundo laborante conſpexit, QUANTA IN ILLO,

LO, ET AB ILLO SUNT (inquit) NUNQUAM DICETUR SATIS, QUOD SATIS EST. Cum repetito intuitu Caput Mundi Dominamque Urbem quæreret, hos tantum in orbem ductos characteres aspexit: SUM. QVOD. ERAM. QVOD. NON. ERAM. SUM. ET. NVNC. VTRVMQVE. *dicor*.

Inde festinato venit in HISPANIAM, & ficte ingemuit, siquidem quasdam aversionis ac odij adversum se lineas, & rationum suarum pœnitendum fastidium legebat in speculo, ut tanto li-

bentius ægritudini insulta-ret, &, si placeret occasio contemptum ulcisci. Et tamen ne suo videretur de-esse officio, magnâ verborũ caligine, velut supremo fu-nere, florentissimi Regni de-functas Rationes involvit. *Opus erat* (ait) *Hesperiam nos-se, quales haberet sub humiliori fortuna collusores, nunc pares & socios: atque inter grandio-res Campanarum boatus, so-num Campanellæ non excludi: illum optari, & illud, in quod, intentæ aures aciesque jam frustra vibrantur.*

Ex consueti *R*egiminis

impatientia , oculum ſpeculumq; tranſtulit in LVSITANIAM, luſitq; primum in Nomine, ut rebus illuderet: poſtquam ludere ridereque deſiit, gaudium veriſſimum prodidit & ſi vellet, obſequium : nempe videbat in eo *R*egno, nec invidebat, *R*ationibus ſuis, novas acceſſiſſe, ignaræ hactenus an in *R*egno paradoxo , ſine tumultu, novus ſemper formari poſſit *R*ex & regimen : *Poteſt* (inquit) *ſi Reginis conſortibus placet*. Magnum molitura videbatur & alibi *R*atio-Status, ſi placuiſſet exemplum.

Quid enim intereſt *Vir*, an *Mulier*? Thronus, an thorus vocetur? Regnum, & Majeſtas eſt.

Poſtmodum trajecit aſpectum in ANGLIAM, cumq; in eo Regno, pendente ſemper ſceptro & corona, populi conſpirantis ſententiam in primum advertiſſet, *Non ſibi* (inquit) *cohærebunt in ſecundo, ſed vivet ſolus, & ſolus regnabit, vetantib. aliũ rerũ exitũ & exitium, ſcopulis, interea rationibus meis quæſtionem agitet, nec decidat Diſcordia.* 1. *An populus Regum Artifex,*

liberis

liberis suffragiis, opus suum liberum libere destruere possit? 2. Qualis esset illa parendi necessitas iu illo Regno, cui agger insuperabilis pro lege est? Videbatur Rationibus extemplò solvisse difficultatem, & exemplum firmasse, cum hanc clarissima voce pronuntiasset sententiam: *Nunquam sic attolluntur Reges, ut deprimi non possent.*

Rationibus suis volvebat SVEVICAM, quoties maximis difficultatum volveretur scopulis; sed consulto prudentiæ suæ speculo, se

feliciter expedivit. *Ferrea gēs* (ait) *nec æris indiga, accepit à ferro, ut aurū nosceret: & ab ingenio ut Rationib. valeret: ac fa-vēte Religione, quæ, dū nō quæritur, & aliud vota suspirant, Fortuna inventa est.* Cum hic paululum substitisset, ex impotentia temporis & ætatis, dato impatientiæ signo, belli cupedias supra sortem humanam elata, in MARTIS PULLO tandem & Regum periculum, detexit: mox infinitis Optimatum consiliis sparsa, lachrymis se totam permisit licentius, rata, nō tristius deberi acerbissimæ suspicioni, quàm

quàm certiſſimã putavit, niſi ex magnitudine cœpti, ſpei cõceptæ lugubrem memoriam. Sed ne reprehenſioni pateret, ſubmiſſa voce dolorẽ interpunxit: Oſtendent, (inquit) iſtum Fata, nec diu eſſe ſinent.

DANIAM, ex ſervili credulitatis obſequio, priusquam divinaſſet, deſpexit: ſed ex fatidico myſteriorũ Criſtallo admonita, plausũ fecit manibus. Alia in hoc Regno viſebatur facies, & varia, quãq; non una deformabat cicatrix. Opportunè verò *Deucalionis* & *Pyrrhæ* ſolertiâ

tiâ, jacta esse quędam semina (dicebat) quæ, terræ suæ & glebæ nimiùm affixa, aliquando verterentur in silices, messem ferream daturi cum Cadmæis fratribus. Hortabatur interea RATIO-STATVS illos lapides carmine magico, út quos adhuc maxima urendi non destituit vis, constanter fumarēt, cum ardere non possent. Solvendum suis vinculis *Prometheum*, qui expiato supplicio, latentem ignem extrahat, atque ex parvis scintillis, magnum excitet incen-

incendium, quo, frigidus axis incaleſcat & inclareſcat, ſublatâ famæ infamia. *Satis magna lætitiæ cauſa, felicitas occidens, cum naſcitur.*

Tandem Moſcoviam, Turciamque reſpexit, & utramque Gentem pro Monarchiâ certantem in vitro contemplata, magnopere ingemuit, alterutri non vires, ſed ingenium deeſſe, quo, ex Status, & Rationis præſcripto, ultra abſolutum regimen proferret, juſſitque ſequentem ſententiam Clientibus calamo excipere, poſtea ut regnan-

tibus pateret majusculis in tabulas referri. *Nihil Monar-*
„ chiâ salubrius, nec pulchrius
„ in orbe institutum ad felicita-
„ tem mortalium: nihil plane
„ suavius, illâ parendi necessi-
„ tate, quæ omnium fortunæ
„ est: unum Dominum habe-
„ re, atq; illud imperium pati,
„ cujus DEUS, exemplum est.
Verum tanti Boni usurpationẽ, cum expeditissimis acquisitionis Rationibus, adeò obscurissimis characteribus in tabula circumduxit, ut nullum humanum intellectum admitterent. Singula, infinitis intricata figuris, ac intersusa lituris &

coloribus, ut ænigmata videri possint, & ipsum Oedipũ desperationẽ occidere. Et exercet adhuc difficultas, frustra conantes in caliginosis documentis Reges, licet excitet promissi magnitudo nec ingratus cum sumptibus labor videri possit, quem scilicet Virtus, Fama, Gloria, atque super omnia, tot Regnorum possessio exacuit.

Hic divinatrix Mulier visa est adhuc minimè substitisse, volvebat novissima cogitatione & animo, universas RESPUBLICAS Christianas, & quid futurum esset posteà, Vitrum suum consuluit. Fortè cœlum fuit in nubilo, ut aliquot vicibus, nil nisi turbines

adverteret & tempestates, quæ, homines & pecora ferirent, atque terræ plantas & arbores ipsas, concussis latè ramis, moverent à radicibus. Quæ cum & auditu horrida sint, & visu concutiant animum, illa tamen sine metu innuebat, docebatqut amicam eam tempestatem haberi, quæ, ad feliciores plagas classicum impellit, neque populos illos aberrasse, qui bellorum tempestatibus jactati, fundamenta Libertatis jecissent. Felices! & fortunatos! si illos protegat, ipsa cui accessêre tot Regnorum vastitas. Nam quælibet Respublica sibi relicta, non potis est illatas injurias propulsare, guttæ similis, quæ, Oceano admixta, nihil à fervente Sole metuit, Sola, siccabitur. Cum secundo admovisset Speculum, nec isto quoque aspectu Cœlum absque nubibus, ut quâ parte in Europa cadebat Sol, * Christianis nõ sine turbine cum Planetis absc ederet, inter fulgura & tonitrua occumbens. Oculis intuentis insolitum terrebat spectaculum, nam quicquid contemplationis, frigida prior ac madida

* *Mors, aut tantum insidiæ in Cæsarem*

madida tempeſtas intulerat animo, illud totum disjecit, inter coacta nubium volumina, & noxios vapores, viam quærens non una tempeſtas, quæ & terroris magnitudine, & tonitruorum fulgurumque frequentiori ictu, variæ in orbe Chriſtiano mutationis exhiberet præſagia, quibus, aliquid ſiniſtrum hominibus parari, tot læſæ lucis defectionibus, noctisque tenebroſæ præludiis, admonebat cum Ratione-Status,

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.

Triſti ſpectaculo, ac terroris magnitudine, miſerabilem Mulierem, & in ipsâ adverſus populos clementiâ crudelem, & vox & lingua deſtituit, ut metu fractam victamque, nemo dubitaret. At, ut ex ingenio verſatili ad ſe rediit, non diſſimulavit Ratio-Status, ſe illa omnia vehementer probare, quæ putaſſet peſſima. Itaque neque à malorum gaudio, neque à curioſo futurorum præſagio abſtinebat, abſterſoque iterum fatidico ſpeculo, ut tertio admovit oculum, ſuam prorſus non ſine vulneribus

vidit imaginem, ad cujus atrox spectaculum, cum suspensâ voce, etiam submisisset supercilia, tandem post deliquium mentis & animi dum ad se redit, in hæc verba erupit frendens & furiosa: *Mene in oculis meis sub tot simulachris ludit fatale cristallum, aut ipse Status & Ratio? O dolor! quisquis læsit, malis meis securus fruitur, & ridet insciam, quod acceptis vulneribus, omnis mihi vindicta perierit.* Prolixum esset ex conjecturis fatidicis omnia retexere, certè animus erat Reginæ, ex signorum & insigniorum Nobilium cumulis, atque tot avium, ferarum, monstrorumque hieroglyphicis, magnum arcanorum eruere argumentum, & supra Rationem-Status aliquid moliri. Sed doloris sui vulnerisque admonita ne Majestate excideret, & dignitatem fortissimè tueretur, projecto speculo, ad eas artes se convertit, quæ adhuc latebant, quibus scilicet modis in se sævire deberet humanum genus, & maximè homines Christiani, quomodo dejici Reges, & regna transferri, deprimique populi

puli possent, donec Legibus sequentibus & illa patuit, quæ maxima est odij & vindictæ, cupiditatis & invidiæ, variis in Regnis & hominibus solertia.

7. Non diu suspensus dolor, dolentem trementemque vexavit, dissimulatis enim iis, quorum causâ tam prolixè doluerat timueratque, ut regnaret fortius & felicius, *Leges* publicavit: quarum tenor & series, est omni tempestate horridior, de quibus, quemadmodum dici non potest, quàm solerter, quàm copiosè verbis artificiosè dispensatis disseruerit; ita istud prodigio non caret, quia tam prolixarum rationum suarum ordinem, variaque eruditionis placita, tricas, dolos, fraudes, factiones, machinationes, subtilitates, iras, cædes, furores, cupiditates mox omnis generis blanditias & lenocinia; omnia, in duas tabulas dispertivit; quarum prima Regnantibus, altera suis tantum Clientibus serviret. Corruptissima Regna & Respublicas, copiosæ ac plurimæ Leges, jam pridem arguunt; quod ipsum advertisse, & avertisse, sagacissi-

cissimam Artis Politices Magistram oportuit, quippe multa facile obruunt occupatum ingenium, & pauca faciliùs memoriæ commendantur.

LEX PRIMA.

IGNAVIA. MAGNA. IMPERIA. NON. CONTINERI. VIRORUM. ARMORUMQUE. FACIENDUM. CERTAMEN. ID. IN. SUMMA. FORTUNA. ÆQUIUS. QUOD. VALIDIUS. ET. SUA. RETINERE. PRIVATÆ. DOMUS. DE. ALIENIS. CERTARE. REGIAM. LAUDEM. ESSE.

LEX SECUNDA.

ALIUD. CLAUSUM. IN. PECTORE. ALIUD. PROMPTUM. IN. LINGUA. HABERE. AMICITIAS. INIMICITIASQUE. NON. EX. RE. SED. EX. COMMODO. ÆSTIMARE. MAGISQUE. VULTUM. QUAM. INGENIUM. BONUM. HABERE.

Prima LEX quia regia, vocatur *Regalis*, cum enim cæteris mortalibus in eo ſtent conſilia, quid ſibi conducere putent; Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum, ad famam dirigenda; idcircò ex hac lege, nihil nefas eſt Regibus, omnis ratio augendi imperij honeſta, quia nulli tantæ opes ut cupiditatem expleat. Quid? noverint Regnantes nunquam deeſſe ſpeciem æquitatis bellum concupiſcentibus, majorum jurgiis nunquam fida pace ſopitis. Per æqua & iniqua incedendum, commodum & utilitatem ante omnem ſtare Conſcientiam & Rationem, quibus, omnis ſervit prudentia & conſilia obſequuntur.

LEX Secunda, eſt Civilis & privata, ſolis duntaxat inſerviens Politicis, ut qui hanc exactè didicerint, à reliquis quæ multa inde veniunt & naſcuntur, ne latum quidem unguem deflexerint. Et ex quo illam jam homines didicêre, nemo penè ſincerum loquitur, quicquid in urbanitatis aut amicitiæ ſpeciem profertur, aut tricæ ſunt, aut ambages.

In promiſſis magnifici; poſtquam ſimplicioribus ſpem fecêre, contemptos deſtituunt. Iſta Politicorum hominum ex hac lege ſapientia, cæteris nox eſt, & quamvis fulgorè ſuo ſplendeant, non videntur tamē, adeò radij illorū cū tenebris conſentiunt. Binos vultus habere debent Viri iſti, ut ille, in fabulis Janus; uno ut ſint blandi & benigni, alio ſemper truces, ut prorſus neſcias, cum tibi arriſerint, plusne ab amicitiâ ſperandū, quàm ab odio metuendum ſit. In utraq; Lege monebat Magiſtra, magna arcana contineri, omnibusque patere, ſed non ab omnibus capi, nam quicunque homo eſt, nullo diſcrimine Politicus eſſe poteſt; ſed in hoc occultæ Philoſophiæ penetrali, qui præcipuè excellere cupiunt, ſacri eſſe debent & profani.

8. Cum humaniſſima, ſuæq; ætatis blanditiis venuſtiſſima *fœmina* omnia ex ſententia compleſſet, politiſſimis verbis ſuos interrogabat Politicos, quomodo ipſis *Ratio-Status* placeret,

&

& quid de doctrina, illiusque arcanis artibus videretur? non anxiè neq; cunctanter, ſed plane ad expectationem *Dominæ* reſpondebant, fruſtra expugnatæ Conſciẽtiæ minis & ſtimulis prohibiti. OMNIA SUMMA ESSE; *nam nemo non videt, quicquid natura Parens, ſyderibus aut terris affinxit, quicquid ſolia, vel cathedræ poſſedêre, quicquid divinæ humaneq; prudentiæ, vetus aut recens contulit meditatio, & adinvenit fortunatum ac felix ingenium, ſingula in Rationibus-Status comprehendi.* Extollebant ſtupendæ eruditionis dogma, magnum debitum ex animo profeſſi, quod ſibi oculos & aures aperuiſſet, dediſſetque intelligere quanto à felicitate intervallo diſſideret mens bona, & quantum prodeſſet Fortunæ, non virtutis, conſilium: Denique poſt multas appellationes & cognomina, ut in augaritionibus fieri conſuevit, ne vacua & inanis eſſet laudatio, dato interdum thure, venerabantur ut *Numen*: RATIO-

STATUS

Status vicario more, ſingulos amoris indiciis & oſculis complecti tandem Cultores ſuos rogare, ſi infelices eſſe nollent ne aliquid hujus conſilij palàm facerent, atque ut tacerent tenacius, adjuratos per omnia inferorum Numina, eos omnes perditos voluit, qui, vel animi perfidiâ, vel ſermonis aliquâ levitate, prodidiſſet arcanum. Ut magis alliceret, quotquot ita juraverant, polliciti nec ſibi ſatis, nec ſuo induſio credere, ſingulos tactu annuli obſtrinxit, cujus gemmam *Ulyſſes* fertur primùm geſtaſſe, poſtea *Rationi-Status*, inter alia cimælia commendaſſe, tam eximiæ Virtutis, ſi jam Politicis credimus, ut eas ſibi imagines imprimi patiatur, quas, amor aut odium; crudelitas aut humanitas poſtulant. Statim ut Reginæ Clientes gemmam annulumq; circumduxêre digitis, aperto pectore omnes invitavit ad ubera. Adeò nemo quærat, unde iſtam hauſerint dulcedinem Viri omnium politiſſimi, cum Matronam iſtam jam ſupra notavimus, mammis copioſiſſimo lacte turgentibus, velut omnium viventium Nutri-

Nutricem quicquid ad hodiernam impolitam Politiam natum eſt, invitare ad ubera. Iſtud mirum quod addam, omnes illi, qui Rationis-Status adhæſerunt uberibus, tanto hodie lacte abundant, ut in Nutricum vices poſſint ſuccedere; quia tanquam adumbratæ Matres, eo ſucco Viros quoque alunt & quidem Regios, ut alio nutrimento neque in ſiti neque in fame indigeant, & ipſas voluptates, ejus guſtu & ſapore contemnant; cujus illa vis, ut non tantum ſatietati conducat, ſedetque immanem ſitim, ſed & faciat, quotquot illud ſuxêre. Laborioſum eſſet ire per ſingula, ut adductis undecunque exemplis probaretur luculentius, non tantum aliquorum, ſed totius Orbis Chriſtiani fatum eſſe, hanc peſtem: licet non pari horrore ſæviat, ubicunque recepta eſt. Cujus effigiem cum jam deliveanerimus, non alij reſtant colores, quibus expreſſior fiat portentoſa figura, quàm ut ejus quoque Diſcipulos depingamus.

CODICILLUS VII.

Politicorum artes, doli, fallaciæ.

QValis ſit RATIO-STATUS, novis Politicorum noſtrorum commentis, oſtendimus: ut qui, oculatiores ſunt, videant, quid ab illa ſperare, aut ab illis timere æquum ſit. Unde odiorum Cauſæ, & inimica partium ſtudia ſuum ducant ortum, ut in civilem abeant diſcordiam; aut inſana tempeſtate, mundo ultimam ruinam minentur: ut terras hominesq; infeſtent, Reges obſideant & regna affligant; adeò deteximus, ut pateat, nos ſub figurarum & quaſi hieroglyphicorum involucris, ea omnia pertractaſſe, quibus, hodie Politicorum ingenia deſudant, & ſine quibus rerum noſtrarum cum publicarum tum privatarum non eſt calamitas.

2. Profectò RATIONEM STATUS, Reginam eſſe tam verum eſt, quã acerba & atrox illius eſt in omnes & omnia dominij uſurpatio, nec orbe minus imperium:

perium : cui omnes, Reges & Principes, Gentes & Nationes, tanquam in suam perniciem convenissent, & perire placeret, tam libenter obtemperant. Et Reges quidem & Principes, cum hâc, velut Regnorum Consorte, curas honoresque partiuntur, sed ita, ut non cum illis, sed supra illos imperet. Remittenda, vel extinguenda Religio est? Fas vel nefas curandum? Milites aut Ministri legendi? opprimendus aut sublevandus populus? irrogandum noxiis supplicium, aut danda innocentibus gratia? sedendum an ambulandum? venandum an consulendum? vigilandum an dormiendum? & quæcunque inde alia proveniunt, veluti ad subsidia, aut fulcra dominationis arcano status sui revocantur. Si quidem omne id Rationi-Status aut consilium, aut decretum est, ad cujus gustum estur lavatur, bibitur, luditur; vocem, jacent, ambulant, moventur: classicum, vincunt, aut vinciuntur.

3. Prima hujus Pellicis cura fuit, Reges & Principes ad se pellicere, ea sensus dulcedine, ut Viri Regij etiamnum aconitum non advertant, neque enim ejus rationibus, an subjectis populis exitiosæ, sed an sibi proficuæ sunt, quæritur: & quamquam damnoso sæpe exitu harum fructus misceatur, fatentur tamen etiam decepti, esse dulce, bonumque, quicquid ab hac Meretrice, magnis authoribus suxêre. Sanè intererat istis ingeniis, Regumque Nutriciis, omnium primo summis in terris Potestatibus, Rationum suarum dulcedinem instillare; quâ, postea velut medicâ potione, integra Regna, populiq; conciderent, toties, quoties nimirùm insaniente suaviter Majestate, verissimum reddatur:

Quando delirant Reges, plectuntur Achivi.

visi sunt Regnantes necessarij Tyrones; ne periret tantorum commodorum compendium, neque sine voluptatis sensu, moliretur à Regibus, quod, subditi maximum bonum suum fore præ-

maturo

maturo sibi gaudio persuaserunt, quamquam unâ cum *Dominis*, vehementer fallantur. Sed huic Politicorum instituto, idonei illi maximè Principes videntur, quibus, per mali bonique indiligentiam, ac impotens judicium, pueritia prætextus est, nam rerum earum, quæ privatam & publicam turbant tranquillitatem notitia, regiis auribus à cunis infundenda est, ut à puero discant, veritatem persequi, & amare mendacium; ignavos amare, fortes amoliri. Maturè erudiendi sunt ad eam regiminis formam, quæ turbida & infelix, infeliciter proculdubio, nec sine turbinibus ac tempestatibus imperabit: quamquam & aliam rationem reddit satyricus: *Commoda est* (inquit) *istorum Pradonum* * *aviditati, extensa Regum & Principum infantia; & vafris hominibus non placueris, si tollas in Principe puerile ingenium. Gratiam illorum volunt aucupari? disce loqui Domino tuo, de venatu, aut choreis, & frequenter illud ingere, non ideo nasci Reges, ut ingentibus curis conficiantur: optimè distingui à* G *subdi-*

* Lege, Politicorum.

ſubditis, voluptate, luxu, veſtium pompâ, & cæterarum rerum apparatu, quæ plebi admirationem faciunt. Servilem eſſe Principum illorum diligentiam, qui, omnibus intenti, Patrem familias agunt, & nimia ſolicitudine, ſuam felicitatem perturbant. Pulcherrimum haberi, ſi Rex ingentium fortunarum Creator ſit; illud enim oſtendere proximam DEO authoritatem. Profectò Reges qui Politicorum hodiernorum dulciſſimæ ſapientiæ ſeſe devoverunt à puero, non aberrabunt in ſuprema quoque ſenectute, ab illa regendi felicitate, quæ peſſima eſt, & ad quam certiſſima & unica fuit *Pietas* & *Juſtitia*, nunc crudelitas, & violentia, dum venenoſæ impolitorum hominum nequitiæ, & tot funeſtis ſucceſſibus infamatæ, morem gerunt. Noſtris vidimus oculis ejusmodi inſtitutionis formas, ad ſenectam uſque perſeveraſſe, in aliquibus Principibus, ut ſilente etiam Majeſtate, loquantur quæ Politicis placent, atq; primam illam cum actionibus, magno populorum damno, revocent ætatem.

Ete-

Etenim haud pudet Viros Maximos, indecoris narrationibus, jocis, ſalibus, ſaltibus, riſibus, luſibusque, ut deteriora ſileam, totos dies & noctes immorari, &, cum curæ publicæ longè alias occupationes exigant, tamen quaſi ad crepundia, poſt tot annos revocantur, ut ea tantum dicant agantque, quæ puerilem ætatem non peſſimè adumbrant. Et tamen jam non tantum nimiùm audaces, ſed & noxij ſunt, quicunque ejusmodi Principem audent admonere, aut Regiminis culpare normam: nam læſæ Majeſtatis crimen vocatur illa ſinceriſſima Veritas, quæ ſuadet ſalutaria Regibus, aut Regnis proficua, atq; ab illis avocat Principes illecebris, quibus maximè delectantur. Nocentes quidem perfidiæ Magiſtri, ſed nec innocens Poteſtas, quam, longa malorum emollivit patientia, atque prorſus hodie labefactavit, voluptuaria regiminis, & quodlibet audendi ſine gravi Catone, conſuetudo. Unde adulantium libidini ſerviens Majeſtas, ac neceſſitate omnia peragens,

in ſe, & in ſubditos, omne prorſus amiſit arbitrium. Fidenter dicam, ex omnium Bonorum ſententiâ, nec meum diſſimulabo timorem: *Ruit Veſtra ô Reges! ô Principes! authoritas; ſceptrum, ludus; Majeſtas, titulus eſt: neque enim vobis per* RATIONEM-STATUS, *aut* STATISTAS, *jam conceditur ſupremum velle; aut ſubditis datur illa facultas, quam, ſpontè ſua exigit, gratum ac fidele in Dominos obſequium.*

Aſt jam de Regibus nobis non erit ſermo, Chriſti enim ſunt, quia cuncti Domini, ſed de Regum Nutriciis, qui, ad Rationis Status Leges, vitam & regimen] exigunt ; nec reſpuunt illam, quæ, ſe commodis ſuis utiliſſimè inſinuat, omnia miſcendi occaſionem; ut impoſterum velut Regiorum dolorum authores, & peſtes Regnorum audiant: omnium humanitate prorſus indigni, quia omnium pacem & ſecuritatem turbavêre. Nec iſtud ſolum, ſed quia vitam, uti à ratione abſonam docuerunt, ita dignam planè eſſe intelligant, quam, cum colubris & anguibus agant,

agant, tanquam non homines, ſemoti ab humanis.

4. Detrahenda erat Regnantibus larva, quam, Miniſtri Status, Regiis vultibus affinxêre, ut ipſi Reges ex doloſa imagine, & fucato ſtudio, ſua pericula & Regnorum incommoda poſſent intueri: quæ, tantis authoribus, inſcij nec intelligentes, nimis imperiosè ſubjectis populis intulêre. Sed eo perventum eſt, ut ex fide & reverentia parceremus Regibus, nolentes ea in ſcenam producere, quæ, non ſine maxima Numinis offenſa, & innocentum injuria ad Rationis-Status leges & regulas immaniter commiſſa ſunt, & etiamnum committuntur. Iſtud nobis propoſitum ut videamus, quantum ſub hac *Rationum Magiſtra*, diſcipuli profecerint; ut Cauſæ, ob quas eos & odiſſe & fugiſſe libeat, Principibus, populisque pateant. Nam qui Politicorum iſtorum ingenium intelligit, dicet veriſſima eſſe, quæcunque ſub larvatâ Ratione-Status, in vulpis & Leonis figura, ſerpentum & inſectorum noxiis imaginibus tropicè prodi-

dimus, & tam bene aptari Viro Politico omnia, quàm dolenter singula videmus usurpari. Quid enim ad deceptionem aptius, quam ex Vulpis naturâ, simulata pietas & humanitas? quid crudelius, quàm in publica doloris significatione, æstu & cupiditate ardere, & ingentium bonorum prætextu, commune exitium quærere, quodque humanissimis justissimisque mediis obtineri non potest, illud, attracta velut pelle Leonina violenter eripere, rictuque rapacis bestiæ per omne fas & nefas grassari? Monstri figuram habet Ratio-Status, verum nec isti, à portentosa absunt imagine, qui sæcularem & Ecclesiasticum, uno vivendi instituto, unum corpus fecêre; ut sive ad Chorum sive ad forum vocentur, una sit sacrorum morum cum profanis mixtura. Nam utriusque hominis in politico corpore, magna est confusio, cum in se maxima Creatoris injuria Chimæram homines Christiani adumbrant, & illata in locum sanctum abominatione

ne Gentium, jungunt Chriſtum & Belial. Legum, quas Ratio-Status cultoribus ſuis, ut ſervarentur propoſuit, tam obſervantiſſimi evaſêre, ut hactenus ab iis ne latum quidem unguem deflexerint. Tota in ſimulatione ac diſſimulatione iſtorum vita eſt, ut ſi quis citò & feſtinanter velit dives potensque evadere, ſervata ad famam, quadam oris comitate, ſermonumque blandiis extus oſtendant hominem, intus vero ne quid detrimenti patiatur utilitas, aut tardè procedat prorſus humanitate & conſcientia abjecta repræſentent Beſtiam. Siquidem præter vultum humanum, homines iſti nihil habent cum hominibus commune: adeò omnes perſonatos bene noſſe perquam difficile eſt, quia quod non ſunt, ſe exhibent mortalibus: ut peſſimæ artis ingenio, improbitatem non cenſuris utiliter placeant, &, vel ſibi famam concilient, vel fortunam.

3. Et quamquam ex iſtorum notitiâ, non honorem ſed contumeliam

mereantur isti Politici, tamen opacissimi hujus sæculi genio, à nemine non æstimantur honoranturve; & iis omnem honorem exhibere par est, quibus ipsi Principes audientes sunt, & nutibus obsequuntur: ut nil mirum sit, eos, usque eò crevisse, unde cadere, sine Regnantium casu, non possunt; & postquam in eam securitatem evecti sunt, ex quâ pericula despiciunt, audacius in DEUM, hominesque *Pietate*, & *Justitia* eversâ, grassantur.

Profectò FIDES erat, per quam nos oportebat salvari, cujus nobis inopiam frustra Christus in adventu suo exprobrabit: Nam Politicorum beneficio, tanta jam fidelium copia est, ut inter innumerabiles *Fides*, nullam haberemus, nisi nimis audax OPINIO, nec tamen generi nostro & naturæ inofficiosa, *Credendorum* paucissimos articulos concepisset in quibus Viri Politici suam quotidie exercent pietatem.

Articulus Primus.

RELIGIO, *est superstitiosa de Deo opinio*

opinio: idcircò omnes omninò Religiones ex opinione esse, atque tantum Regum & Principum arbitrio, in auxilium legum inductas; ut mortales, quibus ad noxia impetus & pessima inclinatio, si ratione ipsa, aut Legum certissimis pœnis ad rectam vivendi normam cogi non possent, Numinis timore & reverentia coërcerentur.

Articulus Secundus.

FIDEM in specie Christianam cum suis ceremoniis utilissimam humano generi fabulam esse, quæ continendæ plebi inventa, hoc solum à sapiente obtinebit, ut facie-tenus patiatur se Christianum dici: sed quæ populus insipienter credit, ipse sapienter facturus, si tanquam legibus jussa, non superis grata putaverit.

Articulus Tertius.

FIDEM, non infusam à DEO mentibus hominum, sed à Majoribus traditâ velut lege acceptam, idcircò non honestè etiam cum erroribus depo-

nendam, niſi aliter Princeps jubeat, aut ſuadeat fortuna.

Articulus Quartus.

EXtra mortalem hanc Vitam, nihil eſſe quod ſperes aut timeas: & Animas hominum non minus quam pecorum interire, non autem transferri ut docuit fides, ſed finiri; quod jam pridem approbavit Tragicus.

Poſt mortem nihil: ipſaque Mors nihil:
Velocis ſpatij meta noviſſima:
Spem ponant avidi, ſoliciti metum.

Articulus Quintus.

ELementa ſequuntur ſuas ſtellas, & homines divinam *Prædeſtinationem*: quæ tamen ob veterum authoritatem, melius Fatum appellatur; cujus nutu & imperio, homines pij, & impij; fideles, & infideles eſſe poſſunt; niſi ſupra Naturæ genium, illos omnino firmaverit gratia, aut hos planè corruperit pravitas.

Articu-

Articulus Sextus.

NUllam ACTIONEM alterâ honestiorem esse, nisi ex stultitiâ opinionis, quæ, in variis diversissima, & ad naturas & Nationes commodata, alibi aut laudabilior aut deterior est.

Articulus Septimus.

PUDORUM, qui, ad turpia non erubescit tantum, sed & sæpissimè pavet, vano timore concuti: nihil enim turpe, nisi quod fœdum eadem censuisset Opinio, à quâ, & castitas cum aliis virtutibus suum pretium accepit, ex difficultate magis, quàm suo merito laudabilis.

Articulus Octavus.

Emittendi HUMORIS, æqualem à Natura facultatem concessam esse, nullum autem sanctius retineri, quàm qui fluit ex oculis, ut non tantum, ictibus Conscientiæ resistat Homo, sed etiam viriliter temperet à lachrymis.

Articulus Nonus.

CONIUGII vinculum, durius esse, quàm ut *Homo* ad libertatem natus, eo se stolidissimè vinci, ac vinciri patiatur. Non nisi contractu Civili constare servitutem istam, quâ, coactâ cupiditas, velut in dolio vinum effervescens tumultuatur, idcircò licet, si libet latius diffundi.

Ne multa: ista est FIDES POLITICA, in quâ ne deteriora consectemur, eo usque perventum est, ut jam in multam controversiam aut contentionem non trahatur salutis negotium, quid Mundo imposterum credendum sit, Viri omnium sapientissimi, paucis nutibus indicant, ut *Articulum decimum*, uno verbo expediant: NIHIL.

6. Profectò si in tanta Numinis injuria, humanæ institutionis Leges obmutescunt, nec in Religionis temerarios contēptores, supremæ armātur Potestates, plane nescio, quâ de causâ, potius Judæi Regnis & Civitatib. pelluntur: Siquidem istud hominum genus ex Ratione-

ne-

ne Status pari perfidiâ tollit CHRISTUM & *Möysen*, & uno inobedientiæ & incredulitatis proposito in Providentiam & Conscientiam grassatur. Itaque ex acerbissimo pietatis contemptu, cum in divina tanto odio consensere homines isti, nunquam se audacius ad res humanas evertendas accinxerunt: nam debellatâ Religione, ubi anhelans ac debilis Pietas deliquium, mox & exilium passa est, ibi etiam Justitia & æquitas fecit periculum: ut suis tantum commodis inservirent, nec vanâ spe ad ea ducerentur, quorum adhuc expectatio, Bonorum animos horrore excruciat. Quippe qui omnium futurorum gustum, fidemque excusserunt præsentium æstimatione bonorum; quod, illa omnia quæ creduntur, Politicorum sententia, nimis in incerta versentur, & priusquam se ingerant oculis, fugiunt manus, plusquam contemplatione sui, mœroris facessunt, quam possessa possint dare solatii, adeò *crevit ingenium malis*, ut nihil tranquilli ab iis expectare possit Respub. Christiana, quibus

tanquam turbidis & inquietis, conſcia pravitatis ſuæ & vehemens *Dea*, RATIO STATUS & tanti nominis germana ſignificatio, *male ſana mens*, *& obſtinata impietas*, longè aliud perſuaſit: ut, ſi illam definire libeat, dubitantibus, an non audentibus cæteris, nunquam melius veriuſque quàm ſic, deſcripſeris. RATIO STATUS, *eſt furia infernalis, cujus Pater, diabolus*; *& Statiſtæ omnes Angeli ejus, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ* JESU CHRISTI.

7. Non ineruditè mihi ſomniaſſe viſus eſt, quisquis ille fuit Philoſophus, cui per ſomnium viſa eſt *Natura*, formas omnes, quas certis orbibus Ratio prudenter involverat, inſipientiſſime explicuiſſe, ut ultra omnes humanos terminos excurrerent, adeò non ſomnium ſed veritas eſt, Politicos homines, qui Rationem Status ſine fine poliunt, per omnes Status, Rationibus ſuis excurriſſe, ut jam nihil ſit, quod cupicitatem illorum & audaciam ſufflaminet, ita jam non fretum Herculis, ſed humanitatis terminos exceſſerunt: nam quis ſuis ſe pa-

patiatur contineri finibus? Vetus insita mortalibus habendi cupido, cum Ratione Status adolevit; nam rebus modicis & mediocribus, facile habebatur æqualitas etiam inter inæquales, quia innocenter partæ, & modestè habitæ. Sed actâ pietate ac pulsa justitia, atq; circumventis variis artibus Principum animis, postquam honor sacerdotij non modo in firmamentum potentiæ, sed & ambitionis ac avaritiæ vitium transiit. Prima inter sacerdotes, sive Ecclesiasticos præbendarum certamina exarsere, cum nemo suâ sorse contentus aspiraret ad majora. Illicò à Choro, etiam in foro turbati Status & ordines, usq; ad infimæ plebis homines, qui commoditates Civium & conditionem appeterent, postea nobiliũ ambitiosissimi ampliores se titulos sequerentur: quorum insaniâ, turbulentos quoq; Principes ad regium usq; promovit fastigium; omnes ambitionem in avaritiam verterunt, & nunquam postea, de incarnato, sed aurato Christo, inter Christianos quæsitum, cujus causâ in omne fas & nefas excurritur.

Et reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit
Vtile, sollicitis computat articulis.

quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? auro constant omnia, hinc virtutis ac salutis præsidia. Quis negaverit ætatem auream? in quâ, aureâ licentiâ proteritur quotidie veritas & innocentia. Quid? Religionẽ ipsam Christianam nõ aliter oppressam, quam Virtutes oppressæ, aut sublatæ sunt; in quo dedecore liberius vitia gliscunt, quæ Regum & Principum exemplis aluntur. Nam si à Principibus ipsis, mutatæ Religionis, aut turbatæ Regionis causam exigas, haud aliam reddituros, quam ut rationibus Politicis, quorum summa, in avaritia est, ad cujuscunque affectum & libidinem pro larva serviat.

Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum venale, Deusque

Auro nituntur sceptra, auro & rastra; auro incitatur & profunda eruditio, auro acuitur etiam stultitia, dum omnes

omnes & singuli eo cum Rationis Status regulis excurrunt, unde reverti non facile possint, credantque, rectè susq; deque misceri omnia, atque inter Maximos, etiam minimi, vix in maximâ peccare, nisi maximè.

8. Longum esset per omnium hominum statum excurrere, & maximè illos sequi, quos politica prudentia etiam nescientes exire suam sphæram compellit, & nativitatis orbem relegere vix permittit auri sacra fames & avaritiæ studium. Reducenda nobis sunt vestigia ad Politicos, & ad Rationem Status restringenda curiositas, ut quantum à Nativitatis suæ sphæra exerraverint videamus. Et quidem, jam ante, illos & divinum & humanum ordinem turbasse, diximus; & adhuc pro conclamatis habemus impias mentes, quibus placet per fas ac nefas, rationibus semel à se laudatis incumbere; nec aliud, propriis commodis insudando, quam Regum & populorum in bello, paceque, & toga sagoque exitium meditari, si si non armis, certè consiliis. Istorum quippe sapientia, vidimus

mus afflictos Reges & Principes, Civitatum, Civiumque collosiones, sævas inter amicos & fœderatos hostilitates & simultates, iras, rixas, odia, bella, cædesque, atque etiamnum parum firmas amicitias. Vidimus horum opera contraria fratrum signa, per ipsa imperii viscera, adversis prioribus sacramentis circumlata fuisse, partiendæ dominationi, quam indivisam ad familiæ decus, horum audacia & avaritia non tulit. Vidimus ex æmulis regni opibus, per expetita inimicæ domus matrimonia, discordiam primo, postea etiam hostilitatem adolevisse: nec Christianis finibus contenta nequitia, ultra Barbarorum fines, & usque in orientem & occidentem, cucurrit, & ut pernitiosius erraret, adhuc excurrere: ut in perniciem Reipub. Christianæ, cum Turcis, Scythis, & Tartaris, non solum societates & fœdera, sed & cognationes misceret. Jure execratur omnis ætas abominandã Vitellij vocem, dehonestamenti Cæsarũ, pecude non homine dignam, nedum Regnatore populi, cum pavisset oculos spe-

ſpectata inimici morte, *bene olere* (dixit) *occiſum hoſtem, at melius Civem.* Iſti, quorum indolem Chriſtianitatis obligatio manſuefecit, & lex quàm ullum populum, obſtrinxit divinior, docuitq; ambulare *de Virtute in virtutem*, quàm longiſſimè ab ejuſmodi conſiliis fugere debuerunt, & parcendo Barbaris, toto animo cruorem Chriſtianum averſari. Eat orbis Chriſtianus, & Politicos benignos neget, qui in propria viſcera ſæviunt, ut parcent alienigenis; & dum fluit cognatus ſanguis, barbarum cruorem cohibeant, ita nulla injuriâ Poëtæ appellaverunt Acherontis filias, ſtygias canes, EUMENIDES; hoc eſt, benevolas, cum aliter gratiosæ non ſint, niſi tædis ac ſerpentibus.

9. Sed *Belli* iſta ſtudia ſunt & furores, ſuas certe turbas ab iſtis hominibus, etiam aurea PAX habet, cum non tantum odiſſe pacem, ſed ea omnia excitare eos certum eſt, quæ publicam calamitatem conſtituunt. Ingentis cupiditatis labe, & aurea habendi ſiti nunquam magis quam in Pace laborant, cum majora ſpirans & anhelans animus, quam

quæ

quæ bellantium ſtudia eſſe ſolent, prætextu demum Pacis fraudibus, dolis, artibusque intendit, nec minor vis ad eripiendas res & ſubſtantias, quàm cum ad pacificos pervenêre. Seu bellum ſeu Pax ſit, nihil quod placet Politico noxium eſt: illa morborum incommoda, quæ accerſunt Medicos, coguntque infirmos in lectis decumbere, & acerbiſſimis remediis uti, non invehunt pace belloque Rationis Status vigiliæ. In quibus diligentiæ non ſuſpectæ argumentum eſt, mos iſte, ut quisquis inquietus in turbulentiſſimum negotium volet ſuccedere, Curios ſimulet, nec bellum, ſed pacem putetur agitare. Occæcat enim noxius iſte rationum humor cæterorum oculos, & ex hujus Status Legibus latet illa apertè agendi, & animos fallendi ſagacitas, quam, velut ex modulantium ſaltantiumque conſuetudine vel concentu, quædam vocis ac frontis temperat dulcedo, cujus artibus, tanquam quibusdam fidiculis, parentium & imperantium motus regunt, ut non minus Regibus & Principibus timendi ſint, quàm

quàm dolendi ſubditis. Nam quos nondum exhauſêre bella, ut conſumantur, circumveniendi ſunt artibus, quas copiosè expreſſit Satyricus: *Vides* (inquit) *quanta ſit aſpirantis fortunæ ſolertia, Principum moribus ſtudere, ut nihil illis proponas, niſi quod amant. Si pecuniarum amore illos teneri agnoveris, protinus novos habendi modos cupidis ſubminiſtra, non diu ſine mercede erit, conſiliorum utilitas. Nec de plebe multum cura, laboribus nata eſt: neque crudele videtur aliquid ærumnarum addere neceſſariæ calamitati, de cætero cave, ne aliquis te diligentior, illa conſilia proferat, antequam promas, ſoli enim tantorum, authori debetur gratia, non illis qui regiam cupiditatẽ, ad modica aut ad nota cõpellunt.* Ita ille Politicus hodie habetur optimus, qui poſt exiguum latronũ ſupplicium, in plebem aliquid ſtatuit acerbius; quia ſpectatiſſimæ ſapientiæ præmia, quæ novis exactionũ adinventionibus adauxit, honores quoque & dignitates ſequuntur: ut & ditior & major ſit. Ecce quantum ſub Ratione Sta-

tus,

tus viri profecêre. Auri conficiendi Leges, magna ex parte ænigmata sunt, tot intricata figuris, sed invenêre eas artes Politici, quas tot mortales, tantis laboribus, & tanto fortunarum dispendio incassum quæsivêre: nimirum ex sudoribus ac gemitibus miserorum, ut avarissimis, & plusquams satis est aliena solicitudine superbis Reges & subditi serviant pro arbitrio, quibus, jam pridem more & exemplo patientissimè assueverunt. Quemadmodum. Nemo jam negaverit auream Pacem, ita in eruendo metallo, nemo Politicos non dicat Metallicos: Numen imitatur metallorum princeps. *Sol*, namet suos adoratores habet, & adipiscendi modus idem censetur, qui ad obtinendum Cœlum Christianis datus est, nempe: *violenti rapiunt illud.* Sed nunquid non istud nostri profitentur Metallici? quoties eâ violentia utuntur. ut jam non è visceribus terræ, sed humanis corporibus hunc Solem eruant, hoc est, ad aurum, tanquam scopum laboris & votorum finem perveniant.

Qui iſta, & alia omnia capit, non illi jam quærendum eſt, quâ cœli poſitura, emerſit aureum ſæculum iſtud, quod iſto ſcelerum ordine fluit: petendum erit à Politicis ut ex RATIONE STATUS, quam, in ſui pœnam & ſupplicium nequam ætas, non plus facit, quam patitur, latentes cauſas excutiant prodantque, quæ per omnes hominum STATUS tam plurimis incrementis crevêre, ut nemo ſatis explicet noriſſimis experientiæ & oculorum ſuffragiis.

CODICILLUS VIII.

Deploratus ac deplorandus Orbis Chriſtiani Status.

ERgo nihil niſi ſceleſtum, generationis ordo *Parentibus* dabit? poſtquam nos noviſſimè ediderunt, in quos cecidit, quic-

quicquid funeſtum comparavere ipſi ſuis vitiis & erroribus, ut antiquiore diligentiâ venturæ ſoboli proſpicerent deterius. Nam quamvis tardè ſit genitus orbis hodiernus, habet tamen unde ſuis non diſpliceat Parentibus. Nihil enim malorum eſt, quod noſtrum non habeat, aut doleat ſeculum. Si quidem ex infinitarum opinionum varietate, & ingenti morum corruptelâ, & communem animorum acerbitatem, & ſtudia partium in mutuam perniciem converſa, tam magno fructus nequiſſimi cumulo noſtra metunt atque colligunt tempora, ut hæc errorum ſcelerumque materies abundè ſuppetat venturis Nepotibus, quâ ſe ad ſatietatem uſque vulnerum funerumque ſaginare poſſit, deterior quàm facimus progenies: &, ſi Philoſophis Mundus æternus eſt, debet noſtrum exemplum ſequi peſſima omnium Poſteritas.

2. O te miſeram Chriſtianitatem! quæ tot probra, ac peſtes, tuo ambitu contines, ô te nunquam felicem! niſi ad Nomen redeas, & Numen! quid enim

ad felicitatem prodcrat Evangelizantium pacem audire monità, & pedes intueri? cum sic errores & vitia placeant, ut audeas defendere, & quasi ærumnæ non sufficiant, nova scelera cum opinionibus moliri. Quid tandem Christianitas erit, si Gentium omnium vitia, & mores barbarorum eâ facilitate suscipiat, quâ constantiâ debuit repellere? Nihil rectè agimus, nihil sincerè loquimur; nihil boni meditamur: tota vivendi ratio, monstrum efficit Chimæra deformius, nam membra Domini, membris diaboli adhæsêre. Ita me DEUS! quem ista omnia non movent, neque præsentium rerum Status percellit, hominem abjiciat, oportet; & inter feras censeatur ac rupes, quem, non homines, sed cœlum rigidius & immites aspectus genuêre. Nam homini, & quidem Christiano, seriò singula expendenti, fieri non potest quin obrepat deliquium animi, ut acerrimi luctus necessitate, mentis in excessu clamet cum Propheta: *Vadam spoliatus ac nudus, faciam planctum*

velut draconum, & luctum quasi struthiònum. Haud enim vulgari fletu, vel citò finituris gemitibus, seculi nostri deploranda est pravitas.

3. Doluêre veteres temporum suorum malitiam, atque dolorem illum in spectaculum prodiisse, ita certũ tritumque, ut nobis quoq; nihil ista lachrymarum historia celebrius. Sed fleant ævi prioris homines, certè famosior simul & copiosior est nostri doloris materies, nunquam enim grandiori scena lusit dolor, testantur hodie tot libri, bonorum authorum fertiles & copiosi, quorum, nullus solitos vultus gerit, inducendi sunt varij vel invitis, quos nulla simulatio cõposuit, ut Veterum luctũ secernat alta suspiriorum & votorum series, majorisque doloris orbe cadente solatium sit, quòd grandiore luctu solvantur in lachrymas, & doleant longè omnibus acerbius. Adeò, ut voluptuarios etiam animos, & nequitiâ obstinata pectora, (quorum causâ isti suum dolorem testãtur) urgeat dolẽdi ex æmulatione cupiditas, nisi sincerum dolorem infamaret, adhuc

adhuc quæ gaudentes obſidet crudelis ſimulatio, quaſi Bonos; illis officijs demeritura, dum lachrymis illudit. Quam ob rem ex hoc mihi præcipuè ſceleſta videtur, lachrymarum frontem guttasque præferens ex ipſo mœrore nequam adulatio, quod ſub juſtiſſimo Bonorum dolore, larvatam & planè jocularem mœſtitiam imponat hominib. Multi enim inveniuntur, qui ad acerbum & atrox orbis complorati veriſſimum ſpectaculum ſecretò & apertè ingemiſcunt, & haudquaquam deficiente ratione, ad ſummum horrorem adacti etſi dolorem non amiſerint, fingunt tamen verbis & vultibus fortunatorum gaudium, & adumbrata per fraudem lætitia, indulgent genio & ingenio, ut hilari inſaniâ, abſcondatur ab illis juſtum vitæ odium, & doloris atrocitas. O infelicem occæcatarum mentium ſtultitiam! an verius, ad exemplum damnatorum geniorum comparatum facinus! quibus, ſæpius ridere & cachinnari, in obſeſſis corporibus conſuetudo eſt, cũ

nihilo minus ſuas juſto Dei judicio pœnas circumferant, nec deſtinatis careant, quocunque ferantur ſuppliciis. Non ſalutem aut quietem, at exitium perniciéq; operatur illis dolor perſonatus, qui joculari mœſtitiâ ita dolent, ut triſtius ſceleſti, in contuméliam DEI, eas turpiſſimè lachrymas orbi funeſto, publice & privatim impendant, quæ, ab oculis egreſſæ, niſi ſuis fontibus reddantur, fruſtra & inaniter currunt, quia Pietatis neglecto guſtu, ſinc eritatem amiſerunt.

4. Utut ſit, quamvis in iſtis perierit Pietas, tamen ex humanorum ſenſuum affectibus, velut humani homines habendi ſunt; quia victis dolore animis, ne ſeriò dolerent, non abſque faſcino ſplendentis miſeriæ, mundana tantum illuſit felicitas. Et, inhumanum ſit, nimia ſanandi erroris charitate, illis auferre opinionem felicitatis, quâ ſibi tantopere placent, ut etiam in doloribus blandiantur. Illi juſtiſſimo odio perſequendi, qui, in hac acerrimi luctus neceſſitate, non modo aliquem

dolo-

dolorum non admittunt in animum, verùm etiam ex maximorum successu scelerum, ad constantiorem hilaritatem animantur; ut jam nec verus, nec fictus dolor sensus eorum afficiat, nec alios dolere sinat, impressa visceribus divinorum beneficiorum & ultionis immortalis inter mortales oblivio.

5. Acerbum est lachrymas, quæ ex justissima mœstitiæ causa fluunt ex oculis, insano cumulare ludibrio, at longè acerbius, nobilissinum prohibere, ne fluant liquorem, cui viam telum aperuit, ut plagam exprimeret.

Magna dolendi causa, qui Orbis laborantis mala considerat, & cũ sua omnibus fluviis sit origo, certe Bonorum fletibus, quos improbitas vetat aut improbat, nullum verius potest assignari principium, quam occidens *Pietas* & mortua *Iustitia*.

6. Ad tantarum Virtutum occasum & interitum irent omnes Boni meritò in lachrymas & luctum funestum, ac lucem societatemque aversati, & quasi sui cæterorumq; mortalium hostes, quærerent in abstrusissimis extremarum soli-

tudinum recessibus, acerbi doloris solatium, eligentes cum nocentissimis feris ac bestiis vivere, quam cum hominibus istis, qui nec dolere ipsi volunt, & dolentibus obsistunt, imò qui Causam doloris dederunt, ad momentum conversari; atque totam quam habent in se impenderent miserationem, neq; se miseris, cæteros crederent digniores gemitibus. Verum major est Reipub. Christianæ lapsus, casusque, quàm ut possint omnium omnino hominum, lachrymis expiari: in illius vulnus, funusq; totius Naturæ miseratio debet effundi, & tot lachrymarum rivis quot gaudet fluminibus, accersito in Mosellarum profluvium Oceano, parentare. Nisi quod in communibus Reip. Christianæ malis, atque adhuc imminentibus periculis, non est tristitia illorum imitanda, qui, cum possint aliter rebus nostris prodesse, spectant solum attoniti, putantque satis sublevasse, si defleant. Ad cujus aspectum neque nobis tam angusta via lachrymarum esset, ut patentes ad lachrymos orbes fontesque ad fletum excitare Natura non possit, at, dum

dum nobis aliud ſuadet *Tempus* & *Ratio*, haud quaquam provocabimus ad lachrymas, quin rejectis operoſiſſimæ mœſtitiæ ſuppliciis, ad eos recurrimus, qui cauſam damni dedere? nam ſi lugubres cæremonias honoraria conſuetudo poſtulat, ad illos munus iſtud Libitinarium pertinebit, qui orbi Chriſtiano anacæum poculum præbuerunt. Digni quibus fatum accerſeat ars ſua, & ut vere doleant, tot maleficia inurant ſupplicium. Si mitior ferenda ſententia, ex orbis Chriſtiani finibus, pellat & ejiciat, invectus Regibus & populis dolor, quem impunè latere, quisquis verè dolet, non optat. Infelices homines! quibus RATIO in pœnam data eſt, nec conceſſum, ut inpunè ſuper beſtias eminerent eâ parte, quâ, ſe fruſtra jactant cæteris animantibus præferendos.

7. Sequentium malorum prudenti conjecturâ, officiosè mihi erraſſe videntur, qui Mundum velut extinctum doluêre: nam juſtis funebribus non opus eſt, quæ, extincto Mundo, neq; opis noſtræ indigo & egenti præbeant inutilem comi-

comitatum: Qui ita dolent timentque ponant dolorem metumque, & desinant tristes videri, satis est tristissima vidisse, ut solertius succurrant remediis: nondum enim obijt orbis Christianus, sed prope interitum est, nam ad propositum virtutis exemplar vix movetur: non multum æquior illius, quam hominis conditio, cui brevem periodum, stata mortalibus hora indulsit; ex tot errorum & vitiorum tenebris, postquam lucere virtutibus desiit, occasum jam spectat operosa ista fabrica, quam artifex DEI manus in luminis solatium erexit. Dabimus cum cæteris operam ut persanetur, & revocetur ad vitam; si scilicet medentis manibus habebitur gratia, & ad sensum amissæ Pietatis & Justitiæ charitatis haud immemor, & salutis suæ non incuriosa redeat Mortalitas. Nisi eo usq; progrediatur insania, ut doleat, quicunq; officiosis manibus, sepulchrum orbis Christiani violavit, & spirantem adhuc atq; tenebrarum pertæsum bonis consiliis avulsit à mortuis.

CODI-

CODICILLUS IX.

Rationes timoris, & objectiones difficultatum.

QUantum ex concuſſi orbis motibus ac diſſidiis, & maximè obſtinatâ patientiæ pervicacia, ſperare debeant Bonorum, doctorumq; conatus, oſtendit, & ferax opinionibus præjudicium, & communis animorum morumq; corruptela. Ut minimè mirum ſit, ſi orbis Chriſtianus, ita à ſe miſerabiliter diſſentiens, & Concordię faſtidio ſibi, quã hoſti nocẽtior, obſtinato in morbũ affectu nec medicinã agnoſcat, nec velit ſanitatem. Quis enim aſymphonas mentes, & nunquam concordes animos & affectus, ſalutaribus monitis inſtruat? aut ad viam Virtutis Regiam errantem ſuaviter voluntariâ obſtinatione pravitatem reducat? atque ad modeſtiam Chriſti, legumque divinarum obedientiam exigat pervicacem omnia miſcendi libidinem? Ut, qui iſta omnia tentare hodie audeat, næ ille mihi publico omnium riſu & ludibrio Æthiopem lavare, aut aquam haurire cribro, videbitur. Aut, quod deterius eſt commnni furore di-

gnus judicetur, & velut publica communis odij victima, obtorto (ut dicunt) collo trahatur ad judicium. Ut difficultatem maximam, non solum illi intelligant, qui causam malis præbuêre, sed isti desperent, qui, quotidianis suspiriis ac gemitibus hominum Christianorum mores, & vitas contemplātur: in quibus ea reperiuntur, quæ ita inter se, & ab invicem discrepant, ut non magis monstrosum putent, diversas in unum corpus convenire animalium formas, quàm tot errores & opiniones cogi in unum Christianæ Religionis institutum.

2. Altera difficultas est, *miserum Veritatis fatum*, quod, ex tristissima imagine æstimantes homines, eam omninò respuant & contemnant. Nam veritas, sine quadam oris & mentis constantia exprimi non potest, dignitatisq; illius ac honoris interest gratiâ, si aliquid in se suscipiat rigidius exequendum. Præterea misera est & nocens Veritatis professio, nam qui illam tuentur, eos, velut regij doloris authores haberi necesse est; atq; illorum gratiâ & patrocinio indigni, quorũ ex deceptâ regiminis opinione,

pacem

pacē & tranquilitatē putātur turbaviſſe. *Zorobabel*, à Perſarum Monarcha, corā centū viginti ſeptem Provinciarum Rectorib. conſtanti amicitiæ memoria, ad honorem & dignitatem regiæ cuſtodiæ admiſſus, coram Principe & regiis adminiſtris, ſine periculo magnis laudib. extulit & prædicavit Veritatem. Placuit, quod miremur omnib. Veritas, placuit maxime, quod maxime miremur, Regi & Principibus, placuit ut admirationem augeamus Aulæ, & Aulicis, quos hodie nec per obſequium ſervitutis, nec cultū ſubmiſſionis placaveris. Quibus æternum Numen cordi eſt, nec vile decus, publicum, judicabunt opportunius in orbe Chriſtiano, quam in Aula Perſia; & à Chriſtiano homine, quam Judæo commendari Veritatem; cujus cauſa, nihil non cum Helvidio tentandum, cum Chriſto patiendum eſt.

3. Tertiam difficultatem injicit prava præſumptionis conſuetudo, & illa ex ludibrio verborū captura: quæ, omnes Rationes & actiones tantum ex magnifico æſtimat; id eſt, quæ à Magnis viris proficiſcuntur. Nam bona conſilia, ſi à

Bonis non Magnificis ſuggerantur, in hodierno ambitionis tumore, neq; reſpirandi neq; conſiſtendi inveniunt ſpatiũ. Plerumq; n. non *quid?* ſed *quis*, dixerit, feceritve, quæritur: quaſi verò qui rectè ſentire ac verum dicere conſueverunt uti, & mollib. veſtiri *in domib. Regum ſint?* & crimen fortunæ cenſeatur, ſi utilia miſeri loquantur. Profectò qui ita ſentiunt, & conſiliorum pretium, ex dignitate metiuntur hominis, ſi iſtud hic putaverint, nihil iſtorum à veritate aberrabit opinio; nec obſtat quod Authoris conditio lateat, *omne ignotũ ex magnifico eſt*: ut tanto promptius noſtris hortationibus pareant ſi *Magnum* crediderint, qui humiles odêre. Quod ſi plane vilem & abjectum eſſe, perſuadeat Hominis Nominisq; ignoratio, nec illud vetabimus, cũ nihil ſit in Mundo homine peccatore indignius. Sed non idcircò vilior pannus à Mercatore temnitur, quia ſericeis, dignitatẽ ſuã valoremq; probant Viri nobiles: ſua laus, decusq; eſt, in quolibet homine, *Virtuti*; quæ maximè valens ac pretioſa, quia rara, & quod rarum ſit cum hac Diva *Magnis* commercium.

4. Mul-

4. Multum ſubſidij afferet, recenſitis difficultatibus, inter Veterem, novumq; hominem continua digladiatio, & vatiniana velut fratrum Thebanorum odia, quæ tam conſtanter perſeveraſſe dicuntur, ut ſimul poſt mortem, contactu etiam ignis, velut hauſtâ viſceribus ãtipathiâ, teterrimi hoſtes, cremari ſine noxa non potuerint. Planè ita vetus & novus homo, ſimul conſiſtere nequeunt, in mutuum exitium intenti, & nec fœderis, nec ejuſdem flammæ patientes, vel vi, vel inſidiis adverſum ſe præliantur; nec ullâ re magis cognoſcuntur pugnaces, quàm diſpare incendio: ut, cum alter cœleſtium flagrat deſiderio, alter æſtu & amore terrenorum uritur, perpetuâ flammarum luctâ, omne ad concordiam excluſerê remedium. Nemo ambos homines in unum corpus, & voluntatẽ coiviſſe facile dicet, qui, utriuſque odia & hoſtilitatem in ſe expertus eſt: &, qui tot errores contemplatur, tot ſcelera; in quæ totam animam projecit Homo Chriſtianus, fatebitur extincto novo homine, veterẽ regnare, & ita ſuũ ſtabiliviſſe imperium, ut jam nulla cœle-

ſtium cura ſit, nulla *Animæ* ſolicitudo dum in rebus humanis tanta contentione *Corpori* providetur. Cujus gratiâ omnia inventa putantur, Cocus Miles, Mercator, & Medicus. Cauſam iſtius incuriæ, pridẽ reddidit Homo ethnicus, ut habeat unde, meritò erubeſcat Chriſtianus. *Corporis quidẽ curandi* (inquit) *tuẽdique cauſâ, dudum quæſita eſt ars, eademque Deorum immortalium inventioni conſecrata. Animi medicina, nec tam deſiderata eſt antequam inventa; nec tam culta poſtquam cognita, nec tam multis grata ac probata, quam ſuſpecta etiam pluribus & inviſa. An quod corporis gravitatem & dolorem animo judicamus? animi morbos, corpore non ſentimus? unde animus cum de ſe ipſo judicat, fit, ut id ipſum quod judicat, ægrotet; minusq; rectam de ſe ſententiam ferat.* quod ignaviæ genus, ut veriſſimè de quolibet homine prædicari poteſt, ita medicationem corruptelarum humanarum omnium, Mundo ingratam, odioſam, maximeque fruſtraneam fuiſſe, præter *Prophetas*, *Chriſtum*, & *Apoſtolos*, etiam illi cum *Tullio*, adverterunt, qui naturalis luminis ſtri-

ctûrâ,

ctura, frustra cæcitati suæ tot opinionibus remedia quæsivêre.

Non idcircò nobis spes omnis præcipitanda est, quia eam Gentiles desperatione damnaverê, nisi doleamus nos Christianos esse, dicamusque opprimi Rempublicam Christianam sanis consiliis, neq; licere, orbe ad Christum converso, tanquam adhuc staret vetusta Gentilium superstitio, in melius mutari.

5. Supra omnes difficultates terrebit me vetus illa, atq; nostro quoq; ævo recepta Censorũ rigidorũ formula, quàm, Catonis præscripsit primum severitas, ut nostris postea usibus aptaretur. *Ad consilium ne accesseris, priusquam voceris.* Quæ, sane Censorũ baculus, non virgugula dici potest, ut videantur peccasse officiis, reverentiam abjecisse pœnam & supplicium mereri, qui, nec jussi, nec postulati, Regibus aut populis boni aliquid suaserunt. Quod sanè haud exigui momenti negotium potest non iis tantum videri, qui veritatem, adulationis libidine ejecêre, aut abjecere sceleribus virtutem; & quibus ex obsti-

nata

nata perseverandi consuetudine, omnis de emendatione sermo, tormentum est. Sed istis quoque durissimum putabitur, quorum justo dolori, & varietas opinionum, & vitiorum magnitudo, ne scelerate sileant, obsistit; ut etiam vereantur, ne plurimæ audaciæ loco habeatur, illa impatientia animi, quâ multi eruditioni suę male consulunt, si in contentiosissimo sæculo, commodè loquantur Mihi res nostras intuenti, dum quamplurima, & Deo & Conscientiæ adversantur, planè ita existimo; quod in publico tumultu, & communi Civium exitio fieri consuevit, salvis cum *Fabio* auspiciis ea dici, aut suaderi posse, quę omnium salutem contingunt, & ad quam, nisi Bonorum ductu & consilio, pervenire non potest depravatum sæculum. Adeò, ut quibus jam ab ultima fati importunitate aliquid *Rationis* superest, nec illos præteritorũ exemplorum fugit memoria, vel malorũ præsentium deserit aspectus, dedecus publicum arbitrabuntur, quemquam à censu liberi judicij arceri & inhiberi in Regno libertatis, in eos tantum culpam rejicientes, qui ætatum ac vitiorum Magistri,

omnia

omnia differre, vetera mirari, negligere præsētia, & futura expetere ignavissimos docuerunt. Nobis alia mens, & aliud consilium, in quo, non deerit bonis voluntatis conatus & rem Christianam juvandi propositum: ut omittā homines, hominum causâ natos, etiam divinę Providentiæ intuitu, ne ex ignavorum imitatione, dicamur tacendo, *Cœlum* & Cōscientiam violasse. Erit illa ipsa non parvo nobis subsidio, quæ rationibus suis contentiones & scandala auxit, *judicii libertas*, in quâ si zelus, pro *Domo Dei* excesserit, stabit pro munimento, quæ simulare & invertere bonā causam solet, solers *in excusandis etiam iniquitatibus*, Excusatio. Facile excusabitur, quod suasit in genus humanum Christiana charitas, quę ardentissimo suo affectu, Lucis instar, remedium omnibus conferet, nocēs nunquā doleat licet, aut excandescat.

6. Ista pleraque erant, quæ velut impedimenta amolienda fuerant, priusquā remediis uteremur, nunc unicum superest, quod & immensis difficultatibus obsidetur, & nostris adversatur consiliis; cujus blande virus evellere è Politicorū

ani-

animis, erit labor Herculis decimꝰ tertiꝰ quia istis, quorũ nequitiâ maximè Mundus laborat & infamatur, *Ratio Status* eripit remedium, & vetat ad mẽtis sanitatem regressum. Nullis enim ut audio legibus cöerceri patiuntur *Rationes* illæ, quæ ex corpore Politico, in publica & privata commoda tam copiosè putantur redundare, ut non tantum melioribus consiliis restringi non patiantur, sed adhuc licentiosius per omnes omnino hominum *Status* excurrant, ut conclamato remedio, major sit peccandi & prædandi licentia. Nam *Ratio Status*, ipsâ fortunâ felicior, adeò jucundè pervasit animos, mulcetq; affectus, ut viri maximè Politi, difficulter sinant, illam voluptatem damnari, quibus tam improbe placet privata utilitas. Tanto orbis consensu, hujus Monstri Legibus homines obtemperant, ut imperio & majestate, Reges ipsos & Principes antecedat; & palam nemo culpare audeat, nisi qui se non hominem profitetur, aut in eorum numerum adscitus est, cui non libet à stultorum sensu recedere, neq; famæ vel honore subire detrimentum, un-

de

de apud Politicos maximus metus eſt. O
quam fruſtra! ò quam indigne Chriſtiani
ſumus! ſi quoties eximendæ ſunt animo
ſeveriores curæ, aut accerſẽdæ deliciæ, &
ſive agendũ ſit, ſive patiẽdũ, *Ratio Status*
in vocetur in conſiliũ? cujus nulla apud
Majores noſtros fuit notitia, & qui ſine
illâ & vixere melius, & regnavere felici-
us. Cui Pietas & juſtitia placebit, nec in-
grata eſt cum rigida reddendarum in ju-
dicio rationum reputatione, humanę vi-
ciſſitudinis memoria, facilè ab eo portẽ-
to fugiet, & rationibus abſtinebit, quarũ
& ipſa calculatio, nõ facinus, ſed æterna
damnatio eſt, nec noſtris obſtabit re-
mediis. Quod jam pridem invectum &
inventum ſit iſtud Politicæ calliditatis
ſtudium quis morbos, qui hæreditate
veniunt, in Majorum reverentiam ſer-
vandos putaverit? nec, ſi tempus ſuppe-
tit, aut adeſt benignior occaſio, advoca-
bit Medicos, ut inditam ſtirpi valetudi-
nẽ reſtituant? Nemo ſapienter dixerit,
minoris animi vitiũ, quàm corporis im-
becillitatẽ debere ex ſucceſſione ęſtima-
ri, niſi ſtulte in pręſẽtaneũ ex deſperatio-
ne properet interitũ. Et fruſtra juſſerit
DEUS, nos legibꝰ ejus obſequi debere, ſi

aliter rationibus Status; non conſcientiæ viſum eſt; & gratis pietatem ſequi, & diſcere Juſtitiam, ſi ſecus inſtitutis Politicorum placeat? Nimirum tam diu peccandum eſt, tam diu errandum, tam diu indulgendum affectibus, donec nos cũ inſanis damnoſisq; Rationib. Status, immanium odiorũ diſſidiorumq; furores, unus omnium furiarum furor, & infernus eximat; quod infelicium & damnatorum hominum crudele fatum eſt.

7. Diſcutiendo difficultates & metum, occurrit adhuc mihi longus ſuſpirantium ordo, & in majoris luctus ſpeciem, verboſo dolore cum gemitibus repetit, illam veterem cantilenam: *fruſtra tu hominibus porriges medicinam; totus mundus in maligno poſitus eſt, non ſanabitur niſi in medicinam conſenſerit peccandi conſuetudo.* Hîc demum rem difficilem & ipſe experior, & quam ſit deſperationi ſimillima, probant à tot ſeculis ſapientiſſimorum querelæ & monita, nec minor lachrymarum copia, quam librorum cumulus, quæ omnia brevibus exponere Codicillis, non fuit poſſibile. Meliores ſunt illi, qui ita delinquunt, nõ ut ceſſent ſperare, quam iſti, qui ita dolent, ut de-

ſperent omnia. Major DEI bonitas eſt, quàm hominum quorumcunq; & quantacũq; pervicacia; & fruſtra à DEO, bona conſilia inſpirantur hominibus, ſi nulla ſperatur indulgentia. Profectò non poſtrema eſt gloria hominis Chriſtiani, ipſa in hominem, humanitas; quæ de hominibus jubet bene ſperare homines in eá utilitatem natos, ut laudem ex ſuſceptis ſtudiis mereantur, ſervientes ad eos affectus, qui, non tantum ad ſua mala, ſed ad alienos etiam caſus molliores, efficiunt; ac illam vivendi pene normam aſſumunt, quæ amoliendis vitiis & erroribus ſufficit, ſi ſermo & exemplum placeat. In maximam partem communis odij ſuccedit, *deſperatio*, nam ſocietate humana indignos facit homines illos, qui ex immanitate affectuum, deſperant de hominibus. Improbum iſtud & ſacrilegum deſperatæ mentis judicium, já olim damnavit AUGUSTINUS: *Nemo ad ultimũ usq; halitũ deſperet de homine*; quis hoc crederet, niſi tantus Doctor ſcripſiſſet? Non tanti erit quorundã deſperatio, ut hujus reſpectu placeat orbi univerſo

Chri-

Christiano morbus, cui tot seculis homines assuevêre! ut non tantum medicā refugiat manum sed etiam ęrumnis impar, exemplo abjectarum mentium, in extremam desperationem solvatur, ut pereat atrocius. Absit absit ô homo! nocentum est sic festinata nece, dum stat adhuc remedium, perire; &, malè ærumnosę vitę spontaneus medetur interitus.

CODICILLUS X.

Remediorum Causæ, & necessitas.

INter quam plurimas causas, quæ, mutandi præsentis Status rationem necessariò suadent hominibus, valentissimæ sunt. 1. Quod Deus jubeat, moneatque 2. quod, tempus breve sit, & hora novissima. 3. quod, id summa rerum humanarum confusio postulat. 4. quod Bonorum multorum vota in rerum humanarum emendationem propendeant. 5. quod, metus subsit, ne durātib. vitiis & erroribus, concussus etiā totodiis ac dissidiis orbis Christianus, migret in Genti-

tiliſſimum, quæ, ut noſcantur, diſtinctim agemus de ſingulis.

1. Multa nobis in ultionem ſcelerum Deus hactenus immiſit damna & pericula; ſed ita manſuetè ac leniter, ut ejus conniventiam manibus palpare, & oculis potuerimus intueri: eminenti ſemper inter pœnam & clementiam amore, velut indulgentiſſimus Pater, qui mallet parcere & reconciliari, atque adeò rebus noſtris adeſſe propitius, ſi liceret per ſcelera. Verum jam aliquid triſtius cernens proterviam noſtram minatur hominibus, ut illud experiantur, quod nunquam paſſi ſunt. Quod cum dico, ad divinarum ſcripturarum verba aut exempla nō apello, quis n. illa hodie admiſit in animum? charior eſt profana fabula, quam ſacra pagina: quia hæc ipſa non poteſt inter Politicos recipi, niſi ſalutis palam proferatur faſtidium ac nauſea. Novit perditiſſimorum morem ipſa divina ſapientia, idcirco oculis admovit ſpectaculum; tot enim in Coelo ſigna cœleſtis iræ data ſunt, ut nemo dubitaret mortaliũ, de voce Dei minitantis ur-

urgẽtisq; supplicium. Sparsit toties Coelo, crinitum ac ferale sydus, ut apparitio diri, nec cito occasuri luminis, ultimis cladibus orbem involui portenderet. Aer, tot tempestatum mutationibus fœdus, tot immitis insolitis frigoribus, non leviore spectaculo, per regna, populosque velut facto circuitu, sua ulcera pestilẽti halitu circumduxit. Visi sunt cum ipsa tempestate & fulminibus circumferri, ignes, soles, stellas ignotas, armatorum & simul ignitorum hominum exercitus: eo impetu, qualis esse solet rotarum in subjecta saxa, cõcitatis equis in currentium, terramq; prementium pondus ac strepitus. Nec aqua defuit, per oceanum atq; maria omnia, ventis flatibusq; contrariis, novas tempestates ciendo; nullibi non avidum humani exitij malum! famosis naufragiis se se ut plurimum delectavit, & ita quidem, ut tristioribus bellorum navalium fatis, suam ferociam in naves & homines augeret. Terra, inusitatis motibus & ignibus infamis, quamvis ob gravitatem põderis sui, cæteris elementis segnior, haud tamen segnis, tot signis, & portentis accessit.

& portentis accessit. Nam damnis & cladibus, ne quidquam satiata, accumulato æstu insolito & simul rigore, afflictis bello Rebuspublicis & regnis: velut per ultimam impatientiam excussit suo dorso urbes, aut exussit: atque incuriosos imminentium malorum homines, altrix quondam mitissima, jam & ipsa pene hostis, toties admonuit. Quid vero? anne istis motus resipuit orbis? nihil minus: ut jam ex humana obstinatione, nec ipsa dubitare possit, rerum omnium gubernatrix Providentia: num certum aliquid, dignumque suæ intentioni, præsentique instituto, ab injustis ac furiosis, tum famæ fortunæque suæ nimium studentibus, pro reformatione rerum humanarum omnium possit impetrare, cujus nulla apud Numinum hominumque contemptores putatur necessitas.

2. Ad finem sæculorum perventum est, aut non multum à fine, & tam breve tempus: ut voce Salvatoris unius diei comparetur compendio. *Nonne* (inquit) *duodecim sunt horæ diei?* qua-

 rum,

rum, cum excurrerint undecim variè ex errantes, quis mecum non videt, decurſũ noſtri ſæculi, à DEO, urgeri noviſſimam? quæ, cum ad divinarum horarum juſtitiam minimè diſpenſato nunc fluat pondere, heu! nimis feſtinanter niſi orbis ſapiat, ſuum orbem perficiet.

3. Nullum unquam ab orbe condito turbulentius chaos fuiſſe arbitror, quàm præſenti tempore, in quo, vix humana ratione ac civili prudentia: ſed voluntaria inſaniâ miſcentur omnia. Quicunque *Homo* eſt, omnia eſſe poteſt, & vult eſſe omnia, unumquemque enim absque diſcrimine diverſa invitat, aut cõfundit vocatio, ut quicquid licet, libet: & licet, quodlibet: ſi te cogat vel circũſtãs periculorũ neceſſitas, vel invitet per cõgeſtos auri cumulos Status impotentia. Vario Sacramento homines Chriſtiani fidem ſuam obligant, ſed tam inconſtanter, ut nec Principum ſanctionibus fides ſit, quam, quoties libet infringere, non contrariatur verbo regio, nec habetur turpiſſimum. Nihil ſibi detrahi vult in cæteris quoque hominibus iſta licentia, quam, cur non ſequerentur ſubditi,

diti, ſi illam exemplo ſuo firmavêre regnantes? inde homines, hominibus infideles: Civitates, Civitatibus infeſtæ; timenda vicinia, Parentes, cognationes, & amicitiæ ſuſpectæ, tota ab hominibus ſubverſa humanitas. Quod Chaos veriſſimè deſcripſit Satyricus: *Tuta* (inquit) *ubique ſunt ſcelera; tribunalia ſilent; juſtitia tremit: furor imperat, ſeparantur ab invicem fratres, ut in ſuum ſanguinem pugnent. Nullæ ſine hoſtibus viæ, & ne ſecurus lateas, inſidias, ignem, impetum timet ſolitudo; cui te tuaque commiſiſti cum egredi non liceat: jubent arma, ceſſant artes, niſi quæ paci infeſtæ ſunt exercentur: inopia fit omnibus, ut pauci crudeliter diteſcant: & prædones adeo multiplicat publica paupertas, ut egeni, quos ad novam audaciam fames incitat, non minus timendi ſint, quam milites.* Proh Deum immortalem! in quam ætatem ventum eſt, aut quid futurum eſt poſtea, id ſine dubio quod Vates prædixit:

———— — — — omnia mixtis
Sydera ſyderibus concurrent: ignea pontum

 Aſtra

Astra petent; tellus extendere litora nolet,
Excutietque fretum, Fratri, contraria Phœbe
Ibit; & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi, totaque discors
Machina divulsi turbabit fœdera Mundi.

In DEUM & genus humanum injurius sit, oportet; aut hominem exutus portento illi persimilis, cui sub humano capite, ferina membra sunt, qui corruptissimum rerum humanarum Statum, emendari non optet, aut monstrosis & in humanis rationibus impugnet, velut non necessariam. Cujus necessariæ mutationis remedia, nemo melius percipit, quàm qui rerum nostrarum confusione vehementer movetur, ejusmodi enim notitia ipsis remediis firmatur, quæ, frustra propinantur si Mundus rejiciat. Suavius profecto est ordinem servare, quàm confusionibus misceri, & discere quietem, quàm inter se distrahi, atque

ex

ex præſentium dedecore, ſcire quantum à recto, & Bono, aberraverit humana mens, & quot corruptelis adhuc ſub prætextu Rationis laborat mortalitas.

4. Imponit nobis hanc orbem Chriſtianum reformandi neceſſitatem maximorum & optimorum Virorum haud vana vota, ac deſideria, quæ, intercalaribus mixta ſuſpiriis ac gemitibus, clam & palam illud propheticum per dies & noctes ingeminant: *Tempus faciendi Domine; tempus faciendi, quoniam venit tempus.* Et, *non eſt qui faciat bonum, non eſt usq; ad unum, omnes diſſipaverunt legem tuam*: & iterum. *Conſtitue Domine Legislatorem ſuper eos, ut ſciant, quoniam homines ſunt.* Et iſtud; *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur; & renovabis faciem terræ* Sexcēta alia omitto, quibus eo zelo votoque ducuntur, ut ſe, ſuaque pro ſalute publica libenter impendant, & humanarum rerum calamitatem, planè ſuam faciant ex virtute; cū in deterius res Chriſtianorum vergunt, & ipſi interceptâ libertate aliquid etiam eo malo durius non metuunt quidem, ſed expectant, teſtem ſuæ, alacritatis

Deum eſſe volunt, & dum votis Mundo prodeſſe non poſſunt, humanitatis prodigi, volūtatē, debitis lachrymis exolvūt atq; ad humanarū rerū omnium emendationem, vero affectu trahuntur. Iſti etiam myſticam illam deſolationem percipiunt, iniquitatis illud myſterium intelligunt, atque univerſalem Chriſtianæ Reipublicæ reformationem, non humano ingenio, ſed ſola voluntate Dei gratioſa mitti animadvertunt. Itaque aſſiduis ab eo precibus & vigiliis efflagitant, ut populi ſui cladem miſertus, manum ipſe ſalutarem admoveat, apertisq; infinitæ miſericordiæ ſuæ theſauris, generalem illam orbi terrarum gratiam, denuò efficaciter offerat, quam, primitivæ contulit Eccleſiæ, & cujus ipſe, ne quidquam ſatana ejusque organis obſtrepentibus, validum adverſus portas inferi poſuit fundamentum. Quamobrē vel horū intuitu, impediēda nō eſt humanæ mētis ſanitas, & Mundi ad ſenium vergentis, gratiſſima juventutis renovatio, quæ, ſicut certiſſimè ventura eſt, ita illā jā conſecuti fuiſſemus, niſi immiti manu, divinæ volūtatis contextū reſcinderet quotidie Chriſtianorū diſcordia.

5. Consuetudinis nostræ tanta est pravitas, ut *Virtute relictâ*, melior nostri pars obrutescat. eo si quidem deventum est contrariis Scholasticorũ opinionib. ut jam haud novũ sit, plurimos ex Christianis in mores gentiliũ & cæremonias abiisse: &, ne prorsus viderẽtur ex leges, circumcisione susceptâ, migrasse alios in Turcismum, alios in Judaismum. Quid futurum Christiani putamus, cum istos Moyses, & Mahumeti Alumnos, novis placitis, (quod hodie ingeniorũ culmen est) hostis humani generis, imbuerit, diabolus? istud exitiale ac pestilens opinionum diversarum virus, adeò per orbem Christianum invaluit, ut nec Veritatem tot circumventam erroribus, nec mala nostra videamus. Quàm metuo! ne ultione divinâ, ob contumaciam in sensum reprobũ datos, penitusq; à gratia abjectos, spissior tenebrarum caligo operiat, & ut ATHEISMUM abeunte Christianitate, omnibus Barbaris evadat crudelior impietas: nam & illos invenies, qui DEUM esse dubitant, quod nihil dici potest atrocius. Impium istud

est cogitare & atrox, ne dum dicere, sed non minus crudele, impedire emendationem rerum humanarum omnium, cujus nobis necessitatem imponit errorum nostrorum & pariter scelerum immanitas. Nonne præstat & magis expedit, ut in nobis potius conversis reversisq; ad vitam & mores Patrum nostrorum, redeat dira Gentilium superstitio? & Judæorum incredulitas? illud Paganus & Judæus videant, quod blasphemantes Christum, & nostra dissidia simul scelera exprobrantes, hactenus minimè conspexêre? & dum aberrantem Christianorum hominum Cœtum, sanctissimis moribus vident sibi reddi ac restitui, confundantur animo & erubescant, atque à nobis accipiant, quæ propter nos fastidivêre *Legem*, & *Evangelium*?

6. Jam quod restat, ostensa morborum pręcipua causa, ac detecto remedio præcipuè utilitatis istud erit consilium, ut ostendam, medicinam nostram, quæ omnib. prodesse desiderat, singulorum hominum esse scientiã, ex hac enim notitiâ securius pronunciabimus, quid ægris

mortalibus potissimum prosit, si juxta hominum qualitatem temperentur. Varius est in orbe Christiano Status & varia ingeniorũ mixtura, ab eâ contẽplatione artis nostræ pendebit felicitas, quæ, concusso tot odiis ac dissensionibus orbi, ne vel cito vel leviter spes omnis damnetur, consuevit sanitatem polliceri.

CODICILLUS XI.

Causa morbi universalis, Religio, *ratio sanitatis*, universale remedium.

QUamquam morborum nostrorum quamplurimæ causæ differentes reddi possint, unã tamen supra alias, quæ & valẽtissima, est, invenio, unde reliquæ suas quoque vires ac virus traxerunt, ut postea in immensum excrescerent; atq; in hanc malorũ omniũ colluviẽ adducerẽt orbẽ Christianũ, ut ab eâ se expedire, nisi rerũ humanarũ cõversione, aut propria ruina, nõ possit. Nẽpe, *Religio* est: sic dicta, quod quasi quodã vinculo liget illos, in cujus fidẽ consẽserunt: hæc, decedẽtib. Apostolis, & successixis temporib. quorum varia semper fuit mutationis ratio, qui illam, novitatis amore necessa-

riam putaverunt, cum ſenſim à primæva ſimplicitate & charitate receſſiſſet, receptis in gremium Eccleſiæ Philoſophis, inter varia honoris & dedecoris certamina primo diſputari cœpta eſt, poſtea diverſis ſibi placere opinionib. donec in errores incideret, ut dubium fecerit, plus ne ab Apoſtolis didicerit ſimplicitatem Evangelij, quam à Philoſophis ſubtilitatem diſputationis, & ipſa pietate ubi urgetur acrius, pervicaciã. Hinc Schiſmata, Sectæ, hæreſesque, quarum genio *Religio*, quæ una fuit, ab aliis per partes admiſſa, ab aliis ne admiſſa quidẽ, ſed gravius oppugnata, & jam à majore hominum parte excluſa, propè ſuccubuit. Quòd, quantã malorũ Iliadẽ Reip. populoq; Chriſtiano invexerit, oſtendũt famoſæ cædium & excidiorũ, & tot vulnerũ, funerumq; funeſtæ hiſtorię, quarũ omniũ, ex atrociori exemplorũ memoriá, noſtrũ præcipuè ingemiſcit ſæculũ; in quo Orbis Chriſtianus, brevi ſimillimus neglectis arboribus, quas, nimia exhauſit fertilitas; dum una in *Religione* durare diutius cũ gloria poterat, eũ, tot differentib. ſectis & partium ſtudiis propè extinxerit *Diſcordia*. 2. Ita

2. Ita jã non tantum animi, ſed & morborum noſtrorum illud virus, ac peſtis eſt, quæ, vi ſua, *Religionem Chriſtianam* penitus abſumpſit, & cum ingens ſuſtulerit bonum, mortalium tamen cerebrũ vexat infamiâ, ut ipſi, qui tunicam Chriſti indiviſam, & unam Eccleſiam ſcidêre, de integritate dubitent, & ab infidelium turmis abhorrentes, fidem ſuam ignorent. Univerſos penè hic morbus habet, quamvis ſub diverſis Nominib. ac Ducibus militent, ut nemini cum ſua Secta conveniat: quorum alij, qui Religioni multum detraxêre aliquid ſuperaddi poſtulant, alij, qui plurimũ auxêre, multa cupiunt imminui, quæ tamen niſi tota non manet. Unde a. tã fœcunda Mater *Religio*, ſine Viro tot partꝰ in lucẽ effudit? aut quis imprægnavit Virginem? cujus flori illa eſt perſimilis; iſta enim virtus, nunquam partim corrumpitur, & partim ſervatur, toto dedecore ruit, aut toto honore triumphat. Ita nec Religionis conditio, corrumpi aut depravari, ab ijs, qui aliquid probant,

aliquid respuunt, nisi tota, non potest. Quis (inquam) tot abortus edidit? *Cephas? Paulus? Apollos?* quorũ copiã nulla vox, nullus capit cathalogus, qui sub variis signis ac titulis, cũ invicẽ præliantur ac pugnant eo insaniæ deventum est, ut nullus patiatur se *Christianum* nominari Nec male profecto: absit enim ut *Religio* Christiana, istos, pro suis agnoscat, quorum ingenium contumax, doctrina erronea, mores cænosi, penè rationem extinxêre; & quorum synagoga, non Christi patientis, exemplum, sed diffluentis in voluptates Epicuri, vita est, & errorum scelerumque immane & infame prostibulum.

3. Virtus illa, quâ, Magnes ferrum allicit & cogit tactum, (si facilem motum præstat subjectus cardo) eandem cœli regionem quærere, inventamque constantissimè intueri, inest quoq; Religioni, cujus fides, quamvis nostros sensus omnino fugiat, creditur tamen à fidelibus, & ignotæ causæ non minor apud bonos Christianos certitudo est, quàm effectus illius, quem, nescire

non

non potest, quisquis ad magnetis leges vel Nautarum pixides, vel facta solaria perspexerit. Quod, cum plane ita sit, quis etiam *unam*, negaverit? unus Deus est, unus Christus, unus Spiritus, cujus fideli testimonio, sub titulo, unius columbæ, & unius sponsæ, una est Ecclesia, & una Religio. Divinus quoque ille radius, cujus beneficio intellectus noster, illa certissime credit, quę nec sensus, nec ipsa ratio, aut lentè servatò quodam temporum ordine prudentia, nobis exponit; non multiplex vocatur, sed unica duntaxat revelatio. Ut omnibus evidentius pateat, quàm insipientissime omnes illi fecerint, qui Religionem per partes admiserunt, quæ, si in aliquibus jure insincera existimatur, in reliquis quoque verior nullo modo putanda est.

4. Unica salutis nostræ Causa, Religio Christiana, est unicum quoque illa ipsa Religio malorum nostrorum remedium: quam, cum in certo vestigio multi, quærant & optent; plures, jactent & objiciant; quamplurimi dissuant aut confundant; quis deprehensam, u-

nam faciet aut dabit? una enim ut sit, oportet. Nulla enim salus, nulla devotio, nullus animorum consensus, nisi in una Religione est. Quis crederet nobis? nisi *servatur*, exemplo unius *Pastoris* & unius *Ovilis* firmasset. Quæ verba frustra aliter sumuntur; jam dudum debebat istud esse, non expectari: Siquidem universalis illa, quam prædixit Apostolus, & multi post illum, *Gentium & Iudæorum omnium conversio*, cum adhuc per mores nostros, motus ac dissidia, multis haud expediti consilij difficultatibus obsessa sit, dilatam potius, quam præsentem, putandum est; non prius divinissima virtute Mundo emersuram, quàm nostra unitate & concordiâ: ut solius pravitatis nostræ reputatione, quanto Judæis ac gentibus deteriores facti sumus, tanto ardentius, in uno Pastore, uno ovili, uno religionis vinculo, unaque lege Charitatis, unus Populus Christianus invicem uniamur. *O Charitatem! ô te divam desiderabilem! quando Pacis Principem imitata descendes è superis? quando ignem tui amoris effundes*

des in orientis populos & orientis? Et cum sis origine cœlestis, quando orbem Christianum, noxiis flagrantem incendiis, cœlestibus inflammabis desideriis: Quæ virtus, non jam temporis moram, sed hominum bonam voluntatem exigit, et multis precibus ac suspiriis, tam grandis & grata, atque omnia humana superans contingit apparitio.

5. Cum tā necessaria videatur esse Religio una, quā necessario unus DEus regnat in omnibus, quis illam, unā ostendet aut perficiet? & quibus, pro tam eximio & humanum captum superante beneficio, Mundus habebit gratiam? anne hæc Religionis unitas expectanda à mitiori & humiliori *Magistratu*? vix existimo; præcipuè iis in locis, quibus plus fæx imponit, quàm imperat lex; & gratior ab hominibus recepta novitas, quàm accepta DEO consuetudo: ut qui in Magistratu sunt, satis se feliciter judiciorū momenta dispensare existiment, si despecto à subditis DEO, ipsi reverēter habeātur, & quodcunq; cuiq; ad mētē venerit credere quodlibet, licet; etsi

etsi facere non liceat, quod libet. Quid ergo? an ad *Politicos*, penes quos summa rei hodie, nostra recurret solicitudo, & illa, unitatem Religionis postulabit Pietas, quæ, Civilibus negotiis non raro infesta, & in iis, quæ hujus sæculi sunt, plerumque cæcutiens? ad primum Politicorum conspectum sine dubio vapulabit: quorum ingenia suapte naturâ in inveniendis contumeliis spontè laborant, quid facient piâ intentione provocati, qui in DEUM ipsum, famam eâ insaniâ quæsituri, tanta impietate, contemptu, pervicacia, & inusitatis injuriis grassantur. Sed ô me simplicem! addo & dementem! qui, quod cæteri in hominũ delectu vidēt, oculis pretereo: nonne in spirituali negotio, provocandum potius ad spirituales fuit? quippe, *ab ore sacerdotis exquiritur scientia, & labia illius custodiunt prudentiam.* Peribit Respubl. Christiana, si non procurabitur à sacerdotibus, & tot capita Civilibus nata negotiis, quid in Ecclesiasticis agendum sit, probè scient, ut ad horum sapientiam cæteros ignorari melius sit, etiamsi

iam si Numinũ inspiratione & instinctu fuderint oracula. At, sunt *Regni* negotia, nõ *Christi*, quæ, ita istos agũt, ut ad Religionis tumultus invitos rapiat, non quietis fastidium, sed miseriæ humanæ charitas: Alij gerant diffidentes in una Religione causas, Viri nempe Claustrales, Monachi, & Solitarij, quorum interest, PIETATEM Christianam non perire. Verum enimvero cum multi istorum sæculo mortui sint, frustra illorum opem et Nomina, nostra implorabit & invocabit intentio, quos ita perire voluit Mundo privatæ professionis disciplina, nec permittit tempestatum nostrarum inscios surdosq; expergisci altum otium & ignorantia. Quamquam aliquorum, qui in defunctorum locum successerunt nulla unquam fuit, quam hodie diligentia promptior, neque enim postulandis suffragiis urna quæritur, aut major expectatur à protracto tempore zelus; ita jam omnibus videtur, quotquot Ecclesiastici sunt, aut tantum spirituales nolunt videri, Ecclesiæ Christianę injuriã fore, nisi unius Relig. simplicis articuli, per ferrũ & ignẽ, urbes populosq; magnis tempestatibus misceantur. Nẽpe

Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit,
Sanguine consistit, sanguine finis erit.

Sed quid profectum etiam exquisitis suppliciis? cruces, rogos, laqueos, & his majora multi ridendo excepêre; *nemo, tot vexatus tormentis, doloris aut pœnitentiæ vestigium exhibuit; &, si veritas non celanda est, paucorum exitium, multorum illecebra exstitit.* Quod si cætera deinceps quæ tam acerbè Ecclesiam lacerant aut componunt, paris insaniæ media idem successus maneat, majori Christianorum periculo contentiones & dissidia feruntur, quam pœnæ feruntur; cum damnosior jam à sæculo & ultra, sit Controversiarum quàm suppliciorum exitus. Itaque vanum erit apud homines spirituales & suo potius quàm Christi spiritu tumentes laceratę Ecclesię & læsæ Charitatis quærere præsidium: in quos, velut Authores, communis odij ac dissidiorum culpâ, ipsum vulgus rejicit & debacchatur: & quod mirere, etiam illorum, quos Politicos vocamus, impietas, causam pietatis orat, quoties Boni apud salutis suæ incuriosos, ansam Religionis arripiunt, ut unâ voce & senten-

tia, velut injustissimæ Causæ infesti, damnent Ecclesiasticos, & ostendant frustra ab illis Charitatem Christianam implorari, qui communi discordiæ Causam præbuere, nec præbere desinunt. Non tamen negaverim quamplurimos hujus ordinis Viros extitisse, qui Polemicis scriptis, non parum causam nostram illustraverint, & quamquam multis diversa frons, neque idem propositum, tamen quodam fulgore pietatis, fortius ad sui conspectum perstrinxerunt Lectorē; quorum tamen sapientissimus zelus, non videtur ad ignem divinum accedere, cum audacissimo sæpius certamine morborum nostrorum remedium funestius, & sanitatem tam dubiam fecerint, ut illam aut minime optent, vel omninò non sperent. Ita ardet plurimorum adhuc zelus, sed non ignis à Domino, atq; dum novā lucem sibi creant, bona consilia in cineres abeūt, & quæsitus ingenio, honor, fit pluribus pyra lugubris & urna fatalis. Sic nec ignis extinguitur igne: nec morbus, morbo curātur: qui, istorum operam expendit, non erit tā insipiens, ut il-

illuſtrari ſuam domum opinetur, eodem quo perit incendio, & inimicum lumen præferat dulciſſime nocti, cujus nec inquietæ tenebræ, nec moleſta cæcitas.

6. Cum nos humana in humanis deſtituant auxilia, à quo morborum ſuorũ expectabit medicinam orbis Chriſtianus? nempe, *auxilium noſtrum à Domino, qui fecit Cœlum & terram*: Non enim rerum noſtrarum immaniter corruptarũ in melius mutatio, ab iis partibus peti debet, quæ ſimul morbidæ ſunt & peccantes; & tanto contagio obnoxiæ, ut earum non tactus ſolum, ſed & aſpectus, vulneret. Salus non eſt periculum aliquod devitaſſe, ut in majus incidas. Ab illa parte morborum noſtrorum expectanda eſt curatio, quæ ſurſum eſt, & è Cœlo ſumitur, & quam, ſoli DEO deberi novit *melior Ratio, & libenter pendit Regnorum tutrix* PIETAS. Non tam crudele cœlum eſt, ut ſemper pluat lapides, alioquin ſuo jam nutrimento careret mortalitas: nec Deus unquam defuit Hominibus, aut deeſſe voluit; fatebuntur, quos, ex divinorum beneficiorum perceptione, non ingrata delectat memoria

moria; cum & illi *apud se* divini Numinis pronum in homines affectum non negant, qui formoso adumbratæ pietatis colore intus DEUM confessi contrariis fidei Christianæ operibus & professa foris pervicaciâ negare videntur. Quod præsens institutum attinet, non meum est dispositiones explicare divinas, quarum certissimum eventum, sanctissima prædixerunt oracula; satis erit illius infinitæ bonitati meum approbare studium, & ostendere facilem in justos & peccatores DEI nostri & Christi ejus clementiam, quam invitis ac surdis mortalibus, tot verbis, & signis ingerit, cupiditate ac desiderio, *nova faciendi omnia*: ut tanto bono Mundus destitutus queri non possit, eam sibi non illuxisse gratiam quæ felicitatem expetitam contingat in præsenti, & adaugeat futurã. Vult DEUS recreare Mundum, sed ad consumationem operum suorum vult quoq; tributariam operam nostram, idcircò tam multifariè humanum provocat affectũ, non quod nostri egeat, sed ne videatur nobis quoquo modo deesse. Sine hominibus creavit Mundum, vere mundum,
quia

quiaſine peccati ſubjecta materia: iſtum, cũ homines vitiis fecerint im̃undum, ſine hominib. recreare, quia nõ vult, non poteſt. Quã multa Macro-Coſmi eſt indigẽtia, tam multũ in Micro Coſmo ſiniſib. eſt, ut in divinis operib. ſuis quoq; attollat immenſormu beneficiorum gratiam & miraculum. Rerum humanarum emendationem DEUM velle probavimus, ad operum ejusdem concurſum hominum quoque operas imitari tam certum, quàm non incertæ ſunt inſpirationes divinæ, quas nonnullis hominibus largitur: ut nemo ſit qui meum non miretur, mirabilis DEI in conſiliis ſuis ſuper Filios hominum bonitatem, hac demum mundi veſpera in aliquibus luce novâ emergentem, quos, nunquam ſperaveras, aut deſperaveras de omnib. potuiſſe ejuſmodi conſilia inſpirari, quæ Mundo prodeſſent. At iſtis, qui Divinis Rempublicam *Chriſtianam* juvandi ducuntur inſtinctibus, ipſa obſtat paucitas, & quamvis optimã Cauſam contra peſſimos foveant, minus in hoc negotio agent, & Bonorum expectationem facile fruſtrabuntur, quod metus ipſa pietate ſit fortior; & nec multi ſunt,

qui in tanto rerum humanarũ tumultu, ad arduum nobilissimumq; facinus animos adjiciant, quibus dolere sufficit, aut nõ peccando, irasci. Igitur rem nostram ad illa melius revocavero, quæ, ex rerum quas credimus recordatione veniunt, & objectas Animo difficultates miraculis tollũt, atq; æquali facilitate ab hominib. admittũtur: nimirũ hoc in negotio, solo DEO, & miraculo opus est, hoc enim unicum nobis officit, quod hæc ætas censeatur destituta miraculis. Levissimam enim sui Causam sæpissime difficultas facit, quæ Deum habet Authorẽ; nam ubi DEUS dux est, ipsa pericula sunt saluti: & in hoc difficili humanæ reformationis negotio, quod pauci, nõ possunt; multi, tantum optant; omnes desperant: fortasse expectanda est è Cœlo singularis gratia, & solicitandus extraordinarius effectus: At, nec Deus tentandus est, nec frustra miracula expetenda, quæ, nihil minus movebunt, animũ, si in contumacẽ & à recto aberrãtẽ spectatorẽ inciderint. Quid Deus facturus sit absq; hominib. nescio, nostrã tãtum malitiã & incredulitatẽ interrogo

quis

quis tunc miraculorum uſus, qui non in hanc ætatem, & homines cadit? edat DEUS miracula, dubitabunt an iſta videant, vel ad magiam aut inſaniam referent, quodcunque Deus ſine homine egerit ad probationem veritatis. Aut quo modo credent Deo? qui, animi pertinacia ſtatuerũt nec ſibi credere, ſi vel mortui reſurgant, & laxatis inferis, damnati in vitam revocentur teſtaturi, quis æternæ Dei iræ ignis ſerviat, quæ deſperatorum, ubi deficit clementia, rabies &, quã vera ſunt omnia quæ, de noviſſimis credimus.

7. Itaque ſine miraculis eſſe poſſumus, non poſſumus ſine Deo, *ſine cujus numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.* Numen illius ſupremum exorandum eſt ut aliquo interno ſtimulo, pungat & compungat, ſopitas in rebus humanis Poteſtates, quæ, ſi voluerint, cito non dolebimus, tam immane & atrox animorum divortium, quod unicum ſaluti & Paci Chriſtianæ adverſatur, quodque noſtrorum cauſa eſt morborum & quærelarum, Deo, & Regibus

opus

opus eſt, ut morbum cui omnes aſſuevimus, & quem nulla remiſſa vis permovet, emolliatq; in malis obſtinatam voluntatem fortior potentia. Et, ne ſibi vim mortales inferri putent, erit mihi ſequendus ordo, in hoc inſtituto magis qui genio Chriſtiani hominis, quam politicæ calliditati ex amuſſim congruit, ea cautionis prudentia, ut nihil velim, quod homines non poſſunt; & omnia poſſint, quæ volo.

8. Diſponuntur à Medicis ægrotorum corpora, ne aut invitis, aut nauſeantibus, ac ſanitatem quoque ſuam averſantibus propinetur medicina. Ita nobis prius illi diſponendi ſunt, ſine quibus nulla eſt in orbe Chriſtiano ſanitas; nam qualiscumque ſit, noſtræ medicinæ ratio, certe ut penetret, & felici exitu terminetur, Regum & Principum authoritate ac exemplo firmanda eſt. Magna Regnantium poteſtas eſt, ſi ſancta, ſi exemplaris, ſi ad primævæ pietatis vultum comparata, denique ſi omnium virtutum imaginem, omnibus hominibus legendam, oſtendat omnibus, tanquam in tabula. Scio quid hic objice-

re poſſit, exempta falsò humanis juribus Sacerdotum licentia, quam infinitis voluminibus adverſus Regnantes defendit atrocius horum hominum ſuperba in divinis humanisque tyrannides, ſed hanc litem, vel hac quæſita occaſione ſuam facient Reges, & oſtendent ſe quoque Solem eſſe, à quo, ſuam lucem accipiunt reliqua ſydera, necque ſuo digredientur Zodiaco, permittentque ſuas domos, è quorum ſitu in ſubjectum orbem varius eſt, ab errantibus ſyderibus uſurpari Præfuerunt Conciliis Epiſcopi, ſed ea, ſine Regum & Principum authoritate nunquam coegêre. Quid delinquimus, ſi pro univerſali rerum humanarum & maxime corruptarum reparatione Regum & Principum authoritatem invocamus? quod crimen, in re deſperata ac difficili, Regum interpoſita poteſtas? quam, in privatis quoque neceſſitatibus, urſêre ſacerdotes, & ut potentius res ſuas firmarent, aut mederentur exceſſibus, provocare non deſinunt ad brachium ſæculare. Itaque in univerſali rerum omnium confuſione, & Status utriusque ruina, citra ſacerdo-

tum

tum injuriam, ad nostri, post Deum, efficaciam remedij, Regum Maximorum & Principum, velut suprema in terris non malè imploratur authoritas; quæ, à sacerdotibus neglecta an contempta, suos in perditos perdidit dominium.

10. Nihil non facturi sunt etiam propriis motibus Reges & Principes Christiani, pro gloria Dei, pro salute generis humani, pro conversione Gentium & Judæorum, qui, è fastigiis suis prosunt singulis, & quamquam severitatem ostẽtent, ita beneficiis alliciunt omnes, ut non timeri, sed coli & amari mereantur. Reges (inquam) & Principes, qui ad optanda non coguntur, sed sua sponte accedunt, suorum miseratione permoti, publica sentiunt & aspiciũt mala, prompta manu & regia sublevaturi, quanto vero magis, saluti publicæ, & omnium Paci Concordiæque consulent, divinis instinctibus moti, malis præsentibus & futuris moniti, atque Bonorum omnium solicitati precibus? Nam & Regum causa hoc suscipitur institutum, ut contemptam aut seductam majestatem asserant, & nutans erigant imperium: nul-

la annuentibus volentibusque, resistet pecuniaria, aut in rebus exequendis difficultas. *Primo*, si expenderint, se à DEO, Regnum accepisse, cui maximè parere, est maxime dominari, nec idcirco Deos factos ut se homines esse, nesciant; credantque æternam animæ salutem, Christi mandatorum obedientiam, Legumque custodiam, tam bene ad regios animos quam privatos homines pertinere, & istud hodie maximè Regnantibus à Christo imponi. *Quærite primum Regnum Dei*, quod si verum est, frustra alibi à potentioribus quæritur surgentis *monarchiæ* articulus: quia sine hoc arcano, nulla valida aut potens est in humanis dominatio. Sed in hoc percipiendo mysterio, postquam nostram intentionem admiserint, clarior erit regiorum animorum acies, & longo malorum usu, edocta consiliorum perspicuitas advertet, quid divinissimum præceptum contineat, quid regiæ imprimis dignitati, Regnorum & populorum saluti, quid deniq; Reipub. Christianæ, & universo humano generi conducat, ut tanto libětius DEO (ut dictum est) pareant, & nostris

ſtris conſiliis aſſentiantur. 2. Si ſecum firmiter ſtatuerint, baſim ac fundamentum Reipub. Chriſtianæ, RELIGIONEM eſſe, ſine illa, humanum regimen durare non poſſe, tutelam ejus, Regibus incumbere, cæteros mortales Regnantibus ſubjici, Reges Deo, & Eccleſiæ parere, nec iſtam, niſi unam eſſe oportere. 3. Si ſibi perſuaſerint, Reges æquè ut homines natos, & ut homines morituros, ad rationem reddendam obligari, ſi inventi fuerint habere minus, illis velut Maximis, iſtud maxime dici, *Potentes, potenter tormenta patientur.*

II. Ut autem orbis Chriſtianus intelligat Reges & Principes aliquid magnum & ingens, pro maxima gloria Dei, ſalute populi, & rerum humanarum omnium omnino emendatione, moliri, non tantum auribus hauriat, ſed etiam videat oculis, nempe. Diſſidentes usq; huc & variis affectibus diſtractos Regnantium animos, invicem coaleſcere, & depoſitis perpetuò ſimultatibus, uno Chriſtianæ Charitatis vinculo colligari: magnum ad ſanitatem incitamẽtum, nõ

aliter beneficiũ nosse, nec certior morborum nostrorum curatio, quàm ex cognatâ Regum invicem unitorum Concordia; quam, tot annos ad consummationem operum suorum æternorũ, magna affectus indulgentiâ, divina Bonitas quæsivit à Regibus, eo consilio, à supremis in terris potestatibus suscipienda, ut sibi mutuo Regnantes fidem & amorem spondeant, haud invite illis conditionibus assensuri, quas sibi invicem dedissent; quarum sumã pene in sequenti projecto consistit. 1. Ut suæ Libertati restituta Majestas, ipsa sibi præscribat, atque ignobilem illam & servilem diffidentiam, quâ, gratis sæpius stimulantur, amore Dei, & Salute populi, adversus Conregnantes, è regiis animis & affectibus amoliantur. Istud enim ut præcipuè necessariũ judicatur ab omnibus ad reformationem rerum humanarum omnium, ita plane non est impossibile. Facilius enim est, paucos Reges uniri, quàm innumeros ubiq; & inutiles ministrantium ordines convenire; quorum maxima pars propriis commodis & utilitatibus intenta, ferendo mala publica, turban-

turbandoque populorum quietem, Regum & Principum Concordiæ insidiatur, ut etiam authoritatem frangat, aut tantùm concutiat. 2. Discrevit Deus nõ frustra Regna & Imp. & aquis, & linguis, & montibus, cujus limites & lineas, etiã vix admonitus viator videt & agnoscit; ingens erit istud sanitatis nostræ præludium, si Reges & Principes, susceptis cum Augusto, *coercendi intra terminos imperii*, consiliis; certissime illud sibi quoque dici crediderint, quod Oceano dictum est; *huc usque venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Sicut magnum ac suo pondere gravescens Corpus difficulter ambulat, ita magnum imperium haud facile movetur. Neque aliquid in publicum accrescit proferendis Regni finibus, solæ privatorum opes insurgunt, curæ vero, & sumptus, & bella Reipublicæ accumulãtur. 3. Ut quodlibet Regnum, à suæ Gentis Principe, nõ ab alieno regatur; hoc Natura, jus, mos gentium, Leges, & exempla innuunt, & non tantum homines, sed & animalium greges, generis sui ductorem sequuntur. Sentiat istud Regum & Principum

beneficium in omnibus Regnis & Provinciis populus Christianus, & videat omni nationi, Jus suum reddi, sublata imposterum immani cupiditate regnandi. Omnes in Regno nati sumus, quod, nobis tam mite ac placidum, summi Numinis benignitas reddidit, ut præ illo, omnis ambitio sordescat. 4. Ut Mundus videat Reges & Principes, numerosam illam ac planè inutilem Ministrantiũ phallangem reduxisse, & velut ignavos fucos, qui bonis & laboriosis mentibus pastum suum furantur prorsus expunxisse ex aulis, Scholis, foris, & pulpitis. 5. Ut Boni undiq; Viri audiant, jam coronata capita, oculos avertisse ab adulatoribus, & obstruxisse aures tortuosis consiliis, & nunquam explendæ cupiditati; illis hominibus procul exesse jussis, qui vanis prætensionibus & tricis alios ludunt, & implicant; & quorum tota festinat intentio, patrimonio ditescere, trahere magis, quam agere negotia, multa oratione nihil concludere, & temporibus Regnorum insidiari. 6. Ut tributa & Vectigalia inconsueta, intra fines mediocritatis consistant, & contributiones

illas

illas ordinarias atq; extraordinarias, quę sæpe rebellionibus occasio fuêre, atque infinita explicationis nomina, adinventa ex insania illa Politicorum, quæ Principibus propè universis infamiam accersit, & subditis miseris facessit negotium, prorsus è tabulis suis Reges & Principes expungant, & ad miserorum vota, totam majestatem extendant. 7. Ut in suscepto Christianę Reipub. otio, militares copię & exercitus dissolvantur, ad amoliẽdam armorum inferendorum, & vi intentandæ, prætextu reconciliatæ cognationis suspicionẽ, & in publicæ securitatis tesseram: milites, qui, solius intuitu prædæ aut mercedis facinorosi sunt, suis reddantur locis & sedibus, ne imposterum perfidia acti, Patriæ partes deserant, laboranteq; furore eam à Ducibus fidem alibi desiderent, quam, nec ipsi domi servaverunt. Nec tamen idcircò privata armorum cessabunt exercitia, quia publice quiescunt, & quæ, nisi noxiè reassumi non possunt. Et cui bono jam proderit Miles? non litigiosos ut antea fines, aut laborantem sub hostium metu potestatem habituris? Quanto satius erit illis

negotiis misceri, quæ honestam pacem, & securam faciunt; & si bellandum est, armorũ iste strepitus in fines & regiones hostiũ Nom. Christiani comigret; dulciq; securę cõscientiæ lætitia Rex & populus Christian⁹ gaudeat, se serò licet tamen serio intellexisse, quam malè, variis usque huc armorum successibus, triumphisq; de Christianorum cædibus, actis, *Christum*, *Marti* tot ærumnis famoso, prætulerit: ut cessantibus licet jam apud se certaminibus, justissimi belli semper præmium sit & præda, sanguis impostorum Barbarus & Gentilis.

12. Atque hæc paucula sunt, quibus ducitur præsens institutum, atq; universis penè negotium facessit, & mutatione, velut necessario remedio sibi succurri postulat orbis Christianus. ô Christianũ orbem ad invidiam usque fortunatum, si tantillum à Regnantibus impetrat, & videat unâ secum expectatione ac desiderio supremas quoque potestates teneri, cujus objectum est, non vile Decus publicum, *maxima Dei gloria, & omniũ salus*. O felices Regnatores populorum! si Deum audiant, bona sua intelligant, si

bonis

bonis Regnorum bene utantur, Religionem tueantur, pietaté promoveant, impietatem frænent, Leges exerceant, & publici sanctiore diligentiâ, privatum intra mediocritatem definiant; quæ omnia sufficiunt ad vinciendam jugulandamque, quæ, divos hominesque hactenus offendit, ac populũ Christianum universum, apud incredulas gẽtes, & infideles Judæos infamavit, animorum discordiam, ingeniorum insaniam, & morum corruptelam.

13. Gratiosam, in salutem publicam Regum & Principũ voluntatem, ita mecum expẽdo, ut non satis sciam, an futurorum successuum contemplatio me feriat jucundius, an vero tã dulcissimæ rei moram feram molestius. Hoc imortale Regum, in mortales beneficium, haud nobis jam anxium initium, aut dubium finem faciet, in intentato hominibus remedio, quod, universale vocatur nõ ideo, tantum quia universis conducit, sed si ad illud propinandum *omni ægrotæ carni*, Reges & Principes universi accesserint, quorũ authoritate & auxilio, credimus ea omnia perfici posse, quæ nobis ex præsentiũ corruptionũ aspectu, & futu-

turorũ malorũ reputatione, de remedio universali instinctu divino agitantibus, haud otiosa suggessit solicitudo. Sequẽtur Regiũ conatum & imperiũ cæteri, queẽadmodũ stellæ exiliores, quæ, à grãdioribus syderibus suos mutuantur motus facesque; ut tota Mundi quiescat machina, nisi illud luce sua properaverit, quod primũ est. Primi omnium sequentur regias voluntates illi, quibus dignus hodie non est mundus, & quorum vota ac suspiria supra deteximus, & his fervẽtius agent, quos, segnior votis decepta felicitatis spes, ingentibus curis detinuit solicitos, & qui virtute sua securi, cæterorum cum dolore incendia aspiciunt, atq; nostris jam pridem miscentur consiliis. Succedet Deus Regum conatibus, quo Authore rerum omnium stat contextus, & quod tot firmavit oraculis, perficiet: atque dæmonibus, qui nostræ insidiabantur Concordiæ, & velut Leones rugientes animas hominum quæsituri, corpora obsidebant, vel ad tempestatum insaniam nubes collecturi, volitabant per aëra, jam æterno Carcere inclusis, omnino adimet illam, quæ, in ju-
stissimam

ſtiſſimam ſcelerum ultionem conceſſa eſt, facultatem, Lucemq; quam noviſſimis tẽporibus pollicitus eſt, oculis mortalium infundet, ut immobili decretorum ſuorum ordine, palam omnes ſtupente mundo videant, illum, non amplius in obſcuris nubium voluminibus habitare, ſed in SOLE poſuiſſe ſuum tabernaculum.

14. In tumultuoſa iſta Mundi orbita, tot diſſidiis, bellisq; politicis & Eccleſiaſticis circumſcripta, aurea Pax, plurimorum votis, à plurimis jam ante pridem expct ta eſt, ſed ut ſumus homines, ad ea magis quæ ſenſibus & carni ſubjacent proniores, quàm quæ ad Animam ſolum v.l Conſcientiam primario referuntur: ita plane qui terrenam circa Corporis vel fortunæ bona verſantem tranquillitatem precibus ſuis poſcunt, ad eamq; recuperandam, populum Chriſtianum exhortentur, longè plures invenias, iis, qui Pacem atque Concordiam Eccleſiæ opera ſua quantum in ipſis eſt promoveant. Exemplo nobis eſt publicum illud & ſolenne, & ad univerſum

Imperium pertinens *Pacis Instrumentum*; postea aliorum quoq; variis in locis ac temporibus, solicitè Regnorum & populorum transactiones; quibus, *una* (ut dicitur communi diverbio) *fidelia, duo poterant parietes dealbari* hoc est, temporalis & spiritualis; politica & Ecclesiastica Pax decidi. At tantum ab est, ut istud homines animo egerint ut pateat illos in fortunam potius, quam conscientiam providos, *Regioni* duntaxat, non RELIGIONI præsidium & securitatem quæsivisse. An quod metus, ipsa Pietate sit fortior! ut inde major sit præsentium, quam futurorum solertia? an quia illa est, proh dolor! & proh scelus! mentis nostræ cæcitas, ut instar pecorum ventri obedientium, eorum malorum sensu querimoniaque vehementius afficiamur, quæ carnalem Mundi tranquillitatem quoquo modo turbant, quàm, quæ spiritualem illam animorum conjunctionem impediunt. Utilis erit Regum constitutio, in reformatione rerum humanarum omnium, & nostrorum curatione morborum, ejusmodi viros, qui tantum sua curant, nec quærunt ea, quæ

sunt

sunt Jesu *Christi* non admisisse ad consilium, & à maximis utriusq; status negotiis arceri. Cumque in Regno Dei ac Christi, id plane, quod fieri solet in terrenorum negotiorum Tractatibus servandum sit, tales à Regibus in hoc negotium eligantur, qui ab erroribus & corruptionibus, Ecclesiasticum simul atq; Politicum Statum possint vindicare & quorum summa est in rebus divinis & humanis sapientia; grati DEO & Mundo abjecti; atq; magis Boni, quàm Magni.

15. Reperiuntur adhuc in orbe Christiano, candidissimę virtutis homines in omnib. sectis, qui solo vitæ Christi intaminatæ exercitio, depositis exacerbatarum mentium præjudiciis, ipsos animi motus ad Charitatem & Concordiam posuêre; quorum sicut vita innocens, ita inculpata eruditio; quâ, Amicos facilè ab hostibus secernent, & sive in alienos acturi, sive in suos, idem zelus erit & pietas. Et ne eos tantum putemus idoneos, qui in rerum divinarum contemplatione excellunt, & rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, ex ferventissimo pietatis studio præfici merentur. Dantur in Politico

litico quoq; Statu, qui õ minus, negotiis Civilib. ob singulare Virtutis meritum & mentem rerum maximarum capacem, præfici possint, & habentur capaces. Novi ipse homines, qui publicis negotiis implicati, in mediis vitæ forensis tempestatibus, DEI, & Proximi non obliviscuntur, & constantissimo charitatis studio flagrant, quia pacificã hominis Christiani imaginem observant, atque non infrequentibus verborum & actionum argumentis, magnopere displicere sibi rerum præsentium Statum profitẽtur, ut etiã sępius ingemiscãt: quid pro Bono communi facturi sunt, si sibi reddantur? Viri (inquam) omnes candidissimi, qui, in arena ista luctantiũ digladiantiumque manus consertas, atq; longo certamine nihilo remissas, spiritu lenitatis dirimere, atq; odiis ac dissensionibus disjunctos animos, mutuæ si non reconciliationis, certè tolerantiæ saltem Christianæ fascino, componere satagũt, quos ex pietatis zelo, & justitiæ studio, ad Mundum recreandum vere divinus vocat & agitat instînctus. Istis, talibus ac tantis, in divinorum operum

execu-

executionẽ, & partem Regiarum curarum admissis, committenda est PIETATIS & JUSTITIÆ Christianæ ratio, ut ex divini humanique juris constitutione aberrantes quoquo modo in Choro & foro homines ad saniorum mentem reducant, atq; deformatam Ecclesiastici & Politici regiminis conditionẽ, avitæ fidei & pietati, bonisque legibus ac moribus restituant. Isti namque soli in Mundo spirituale illud damnum (unde cœlestium ac terrestrium rerum jactura emanat, & animæ salus, ac Corporis constitutio periclitatur:) quod ex Religionis emergit diffidiis, interna mentis acie cognoscunt, quorum scilicet sincerus animus, ac devota contemplatio, ad sancta illa Regni Christi mysteria indaganda, propius illustratur.

16. De numero fortassis non immeritio quæri potest, quot illi esse debent Artifices, qui ad evellendum malum, & plantandum bonum, destructioni Babel, & ædificationi CORPORIS CHRISTI sufficiant. Existimo centũ quadraginta quatuor sufficere, ut duodecies ducto numero servetur ordo impermistus, qui pas-

ſim in Scripturis occurrit, in quo habemus figuram non tantum operum divinorum expreſſam, ſed & imaginem Univerſi. Et quia ſine ordine, nulla dari poteſt ſocietas, quæ diu, aut feliciter ſtare poſſit; & hoc ipſum ordo eſt, ut aliqui imperent, aliqui mandata excipiant, ne tumultu, & concurſantium authoritatum ambitione, negotium tantum, & homines laborent; idcirco ex his 144. Viris, quos ſive perpetuò ſive tantum ad tempus, beneficiarios omnium hominum in Mundo voluit ſuprema in terris Poteſtas, aſſumentur 24. viri, qui & ſeniores vocabuntur; ex his iterum eligentur 4. Præſides, ſuppleto ex aliis numero, è quibus unus ſufficietur in principem locum, qui & Princeps ſapienntum, aut ſorte aut communi ſuffragio. Ita ut penes Principem, 4. Præſides, & 24. ſeniores, tota ſit hujus magiſtratus authoritas atque *Legum rerumque* diſpoſitio; quorum tamen omnium ſit ambulatoria dignitas. Dixi LEGUM, quæ ſine dubio futuræ ſunt ſanctiſſimæ, pauciſſimæ, ordi-

dinatissimæ, & ejusmodi, à quibus nemo, nisi pessimus abhorreat, & omnes gaudeant accepisse. 1 *Sanctissimæ* erunt, quia origine sua cœlestes, & hoc solo titulo libenter suscipiendæ, suspiciendæq;, ut eas nec suspexisse, nec suscepisse, divinam dispositionem violasse sit, quarum scilicet ignoratione, nec salus est ulli, nec tranquilitas. 2. *Paucissimæ* sint, oportet, ne ingens moles quâ hodie premmur, ac penè opprimimur, confusionem simul & calamitatem adaugeat, & quæ veterum simplicitatem nõ excludant, aut Naturam detestentur, & quas omnes capiant, nec cupiant interpretem. 3. *Ordinatissimæ* quoq; erunt, si ad librum Naturæ, Scripturæ, & Conscientiæ redigantur, aut saltem *Revelationem*, & *Rationem* sequantur. Quarum omnium beneficio, coercita nec sibi permissa licentia modum imponet vitiis & erroribus, ut Reip. ChristianæStatus, non tantum evadat optimus, sed & maxime valens, fortunatus, ac diuturnus.

17. Opportunè hic venit in quæstionem ipsa temporis ratio: quantum enim dabitur temporis tam ingenti operi? aut

quis

quis non infans hodie natus, capularis senex moriatur, antequam finem attingat instituti? Præscribet, ac definiet Viris prædictis, in Rebus quoque suis, rerum omnium creatarum divina *sapientia Tempus* illud: quod, & vitæ nostræ perfectionem, cum cœlestis gratiæ muneribus aptissime septenarium numerum includit, non quidem dierum, quib. illa Mundum condidit universum, sed annorum, quos in ædificatione templi sui, non absq; ingenti mysterio explevisse dicitur, Rex omnium sapientissimus Salomon, cujus maxima in rebus divinis & humanis sapientia, monebit in ædificandi modo gloriosos Artifices, ne gemēs *malleus aut securis*, & qualiscunq; ex violentia affectuum, non manuum procedit strepitus, audiatur in templo & Civitate Dei, in quâ, una animorum & voluntatum harmonia, per quietis ac lenitatis affectum, & summum præceptæ dilectionis vinculum, quod, ipsa sæpe morum similitudine tenacius est, augebitur supra Salomonis solertiam hoc spirituale & temporale ædificium. Ita tamen ut quemadmodum septem attribuimus annos, rebus Ecclesiasticis de-

deducendis, ita Civilib. negotiis, duodecim assignemus, quos in domo sua regia fundanda pari divini instinctus arcano insumpsisse præfatum Regem sacra tradidit historia. Neq; enim istos, qui præ omnibus, tanto operi admoti sunt, ut Deo creanti, in recreando succederent, inertes aut otiosos esse convenit, aut una tantum manu ludere laborem, quos ambidextros ipsa Virtus formavit, ut illud etiã operibus exequantur, quod, verbis stabilivere: quippè facilius iter est exemplorum, præceptorum semitâ & de perimo Ecclesiæ Christianæ fundatore palam istud exstat, *cœpit IESVS facere, postea docere.* profectò, qui sibi Christianæ Charitatis, coram Deo & Angelis imposuêre necessitatẽ, illam dubio procul profitebõtur industriã, ne ejus expectationem & fructum, sinistræ intentionis apud malos infamet suspicio, nec spem convellat bonorum exquisitum moræ desperatæ supplicium: verum *dextera Excelsi mutationẽ*, suscepto semel fidei, spei, & charitatis certamine prosequatur & exequatur operosa singulorũ pietas. Homines, quidẽ istos esse, quis nescit

scit? & nil, nisi singulari virtute, discretos ab humanis, cæterum iisdem imperfectionibus obnoxios, quibus, omnes jactamur; at, in ea salutis solicitudine, quæ omnium esse debet, anne eos putabimus aliquid deterius de illa statuere, quos & humanæ probitatis testes, ut & nequitiæ judices Regum & Principum voluntate & consilio Deus cæteris præposuit, & depositis affectib. ad illa omnia rite peragenda divinus animavit instinctus & inspiratio? aut existimabimus posse aliquando lassari, quos, orbis universi Christiani juvabunt, apud Deum, vota, preces, supplicationes, elemozinæ, & corporis castigatio? Non destituet laborantes in vinea Domini, ille divinissimus, qui creationis tempore super aquas ferebatur Spiritus, & majore vi Mundo ad senium vergenti, radios suos exeret, fortiusque aget, si quid amoliendum erit, quod suam lucem impediat, cum jam pervenit ad occasum.

18. Ad universale remedium etiam istud pertinet, quod supra innuimus, ut blandum sit, & omnis expers violentiæ: qui Virorum istorum perspexit naturam, & præsens contemplatur institutum, omnem vim pridem eos exclu-

exclusisse judicabit, qui tales, uti descripsimus invenerit: quos scilicet ex zelo Dei, & amore Proximi, ad omne opus bonum, gratia firmavit cœlestis, non pervertit violentia; & propensior in hominum omnium utilitatem animavit amor, non furor. Qui in publico orbis theatro, se, suaq; omnia, velut electæ & dilectæ Deo victimæ, Regib. & Principib. atq; Reipub. Christianæ universæ devoverunt ex animo, nulla ratione poterunt, Charitatis Christianæ fines, fidei Sacramento susceptos, nisi cum perfidia deserere. Adeò in salutem suam & omnium intenti, ut non tantum Carnificum, omnem amoliantur ab his conatib. suppellectilem, sed eorum omnium tollant suspicionem, quæ, dura, tristia, ac violenta, vocantur.

19 Frustra hactenus omnia egisse, aut intendisse videbimur, nisi blando, & universali remedio, ex obligatione salutis, & respectu emendationis magno & forti animo, humana accedat *Authoritas*, sine quâ, nulla est præsentis intentionis inter homines inhumanos, ratio, nullus remedij valor, nulla spes sanitatis. Authoritas (inquam) quæ nisi valida sit potensq;, actione & imperio, per imbecillitatem frangitur. At quid regiâ dignitate in orbe validius, & potentius sceptro est? & si præconium eximas *Veritatis*, Regis imperium, omnium voluntas: Majestas, singulorum reverentia: vultus, gratia: & ira, *mortis nuntius est*. Bellicos tumultus, impubes adhuc & pueri, modo Reges sint, dissolvunt. Quæcunq; in imperio perversorum adversus publicam quietem molitur

litur

litur licentia, antequam noceat, solo Principis nomine compressa est. Minora præsentib. Regib. castra, maximi, ex præcipui syderis absentia funduntur exercitus. Ad nutum Regum, jussuq; fiunt, & transfiguntur omnia. Ut plane disputandū non sit, quid possit Rex, & quantum valeat Majestas, quærere ridiculum. Nam quid possit, valeatque, suprema Principū in homines usurpatio, apparet; quod ad crimen & supplicium, Statutorum terminos vel leviter transiliisse destinato impetu, satis sit ad supplicium. Hoc mihi tantū in animo est demōstrare, quid in Virorum istorum instituto, à Reg. fieri oporteat, quod tanto negotio necessarium, & universæ Reipub. Christianæ gloriosum est.

20. Et verò, quod si ad eum modum, quo, Civiles conventus & transactiones peraguntur, nostrum quoq; negotium accedit, tunc id, quod Regum & Principum omnium nomine, susceptum est, etiam tantorum authoritate, quæcunq; de eo concipiuntur, statuunturque, firmetur. Ut omnia illa, quæ ad bonum commune tantis authorib. referuntur, & ad emendationem utriusq; Status, nempe spiritualis & Civilis, maxime pertinent, palam & manifeste tanquā à Deo jussa & submissa cœlitus, nō obscurâ veneratione in Regnis suis admiserint: cæteris, quæ eo modo, in necessariā Reip. Christianæ reformationē, atq; bonū Universi, concessa putātur, ut singulis expediant, ingens erit stimulus, nec leviter etiā in vulgo habebūtur, si Reges ipsi tanquam sua, in se susceperint.

Valida

Validafutura sunt omnia, si quæ à vitis illis constituta sunt, à supremis in terris Potestatibus, fidem & robur accipiant, atque contra omnem impietatem & perfidiam maximis & insolitis privilegiis & immunitatibus securitatis ergò muniantur: quarum vigore, non erit imposterum metus, ne disciplinam solvat utilissimi decreti pravorum licentia, si illam imprimis non solvisse ostendat Regum maximorum exemplum, ad quod,

- - - *totus componitur orbis*,

& quicquid Regum nomine suscipitur, à Regibus putant homines proficisci.

21. Qui, istud legent, erunt sine dubio inter alios *filii tenebrarum*, qui ad intemperiem usque vocis vociferabuntur, hoc utili sapientiæ ludo, audacter illudi *R*egibus, atque concessis ejusmodi privilegiis, eripi Regnantibus signa & insignia, & exui regiam potestatē insolenter excogitato isto instituto, & sola novitate *R*egnis & imperiis nocituro. Et ipse fateor, insolitam esse ejusmodi privilegiorum indulgentiam, sed major

est impugnantis insolentiæ quorundam licentia, nam ut insolitæ illæ immunitates & Privilegia sint, insolitus exposcit labor, & negotium; & ea est humani ingenii pravitas, ut neminem sinat propriæ rationis frui Dominio, vel loci alicujus concessâ quiete, nisi Legibus & edictis coërceatur. Sed, & Boni omnes qui, ex virorum istorum consilio certissimam concipiunt orbis Christiani felicitatem, non aliter quam ejusmodi authoritate putant practicabilem, atque diuturnam. Quomodo verò dicatur furiose eripi Regibus potestas, quam ipsorum Regum indulgentia dedisset, non satis intelligo. At malitiam penitius contemplanti, nescio quid in hac objectione mota mens concipit, quod à ratione minime abhorret, & ipsi qui objiciunt tacitè fatentur, hoc virorum sapientum consilio, caliginosis istis ingeniis aut colirium, ut videant, aut balneum apparari, ut contractam tot Animi remissionibus, aularum luxu & otio fuliginem abluant, quam Regibus quoque aspersére. Isti siquidem, qui

quæsitis suffragiis, Regum & Principum censentur Magistri & simul sunt Carnifices, * opus suum statumque, minime destrui patientur quem tantopere ut optimum Dominis persuasere, ut jam longam injuriam non sentiat excussa Authoritas, quæ Majestatis sæpius incuriosa, dum otio vitioque defluit, interea illis permittit imperium, qui, inter regalium, ducaliumque cupiditatum arbitros, fortunæ non virtutis consiliis crevêre.

Quæ autem est ista Regum parendi necessitas, quam divina sapientia circumscribit? quid faciunt illi, quibus, nullis limitata quandoque finibus, imperare & præscribere, decernere ac libere statuere, à Dominantibus facta est licentia? & ad quid illa, quam toties in iis veneramur & admiramur *Plenipotentia?* cujus momento, sæpe integra Regna cum populis ruunt, aut amici cum sociis tolluntur. O nos deceptos! qui in salutari & maximè necessario rem

* *Legendum Artifices.*

Christianam juvandi proposito, salubre consilium, quod nisi DEUS & Virtus dare potest, à fatuis aut superbis corruptisque morum & opinionum pravitate hominibus, expectamus? Profecto, si ex præteritorum memoria, reputatione præsentium ac metu futurorum, Reges & Principes ad se redire voluerint, &, quæ summa CHRISTIANI regiminis est, rerum humanarum haud ignotam corruptionem amoliri, Deoque tanquam imperiorum arbitro, & nunquam non emendationem nostram volenti, minantique, parere secum constantissimè statuant, non erit Regnantibus opus in hoc nostro consilio, viris istis, quibus, fuligine politica infectis, nihil pium justumque, qui evertere Bonorum consilia cupiunt; at si quæ ipsi dedissent, etiamsi in Regum capita, & Regnorum perniciem, non pessima putantur.

23. Quandoquidem magno æternæ Providentiæ beneficio, & dominantium indulgentiâ eo usque nostris remediis, ac remediorum consiliis venimus, ad ultimam

ultimam quoque quæ rebus etiam Civilibus inest, consuetudinem properamus: operæ pretium videtur, ut per omnia instituto quoque politico consentiat, cujus rationes sicut per Deputatos homines ventilantur, ita certum quoque locum, in quo solvantur aut discutiantur sibi ut plurimum vendicant. Cum haud dispari susceptorum negotiorum ratione utpote quæ & majoris momenti sunt, & in quibus cardo salutis universorum consistit, tractanda veniant, etiam de LOCO, ubi Homines illi, quibus eâ solicitudo rerum humanarum injecta est, vel ad tempus definitum semel consistere, vel semper habitare debeant, inquiramus. Causa, *Locum* postulat: Locus, ipsos *Homines*: qui, non levis considerationis esse debet, quum semper solemnissimæ sedes, maximorum Regum aut Pontificum, maximis determinandis negotiis, quæsitæ sint. Adeò, & *Causis*, plurimum videbantur patrocinari, & *hominibus*, non parum deferre, quicunque solemnioribus Conventibus, Loca

olemnia elegêre. In quo delectu, etiam privatis Societatum variarum institutis, favisse videmus Principum gratiam, & naturæ beneficium. Ut jam jucundissimâ monasteriorum suæ Collegiorum positione situque, pauci ex viris Religiosis velint cum *Iohanne* vel Christo de loco pacisci, & ab eo Spiritu quem fovent *duci in desertum*. Nedum cum istis, quos Paulus vehementer prædicat, in abstrusissimis sylvarum vastissimarum recessibus & gurgustiis habitare, atque eam sublimium ædificiorum formam & palatia, in cavernas & speluncas transferri.

Sine dubio citra invidiam celebris, ac celeberrimus ille Locus esse debet, qui viros, non tantum velut judices, sed etiam Arbitros accipiet, ne ista amplius in Repub. Christiana Judæus vel Paganus videat, quorum adhuc reminisci pudor, effari scelus est; & quæ Majores nostri, atque ipsi nos, post illos variis temporibus, at hodierno præcipuè sæculo ad nauseam & abominationem experimur.

23. Et sane, sive fama, sive gloria spe-

ctan-

ctanda est, nihil Germaniâ, in Europa famosius, nihil fide & fortitudine supra Germanos: in quorum Regno, summæ laudis, ac probatæ virtutis preconio, ipse quoque Romani Imperii sacer factus, tantum cum titulo recubuit: credo gratius erit DEO & ipsam Germaniam latius dominaturam imposterum quam Romanos, si se patiatur appellari, CHRISTIANUM IMPERIUM; * nihil ista appellatione, si nos Christi non pudet, solemnius. Itaque Regum & Principum omnium consensu, eligetur in Imperio LOCUS, quod in illo, aut illius finibus, variorum hominum sit concursus, sectarumq; insertarum & incertarum colluvies, & quædam admirabilis ex erudita confusione ingeniorum, & opinionum arbitrio, legum errorumq; cum vitiis mixtura, quæ omnia melius intus & prope, quam longe & extra curantur. LOCUS (inquam) in *Germania* eligendus, tam arduo, & vere gravissimo negotio opportunus, situ salubris, & amœnus.

 Exigit

* *& Ecclesiam Christianam:*

*E*xigit iſtud, prona naturaliter in amœnitatis delicias regalis ducaliſque magnificentia: meretur immenſus, in ſalutem generis humani zelus, & Chriſtianam *R*empublicam univerſam demerendi ſtudium. Digni amœniſſimi loci ſolatio videbuntur, qui inter duriora laborum theoremata, vires & ingenium, imperiis populiſque commodant; ita negotia quandoque divertant, ut dum in conſpectu orbis poſiti ſunt, atque neceſſariis ſtudiis intenti, jucundiſſima ſeceſſione diſſimilis voluptas afficiat maximis in rebus laborantes. Jucundum amœnumque hunc ſitum, efflagitat etiam advenarum ex orbe vario, varia Corporum complexio, qui, ut ut uno rationis ac pietatis ducantur afflatu, ſi clima cœli coalitionem prohibeat, haud diuturnam fore, diverſis complexionibus, ex aëris intemperie, ſanitatem. *Magna loci vis*, dixit non nemo, *ex quâ, ſæpè fit, ut homo vel formetur, vel pereat.*

25. Hoc prædicto loco, eorundem Regum opera, & Principum Chriſtianorum

norum ſolicitudine, fundabitur univerſale *Collegium*, quod alio nomine, ad diſtinctionem cæterarum in orbe & qualiumcunque fundationum, melius apellabitur CIVITAS, non autem Gymnaſium, Palæſtra, Schola, Academia, aut Collegium. Condendarum, aut jam conditarum Urbium nomina, vel à recentibus caſibus, vel ab inventionibus proceſſiſſe, certum eſt, dum inſolitum aliquid occurriſſet oculis, aut prima ex aratro detexiſſet pinguior gleba, aut ad famam & gloriam ſubtilius inveniſſet ingenium. Iſtam CIVITATEM, quam Deo duce, & rerum omnium conditore, Regumque omnium univerſali beneficio cōdere molimur, ipſa rerũ creatarũ aſſertrix, SAPIENTIA, ex diviniſſimo conſiliorum eventu, & humanarum intentionum propoſito, nuncupavit HARMONIAM: quam Mundo durante ſemper ædificare debet, ſine ignobilium affectuum & paſſionum motu, Chriſtianarum virtutum Princeps CHARITAS, & hominum *Concordia*; atque habitare perpetuò in illa
 ſemo-

Semotis odiis ac obſtinatis mentibus, comparatus ad modeſtiam Chriſti ex animo conſenſus, ò fortunatum orbi, & Urbi, non ſine omine diviniori Nomen! ſub cujus appellationis conditione, rationis & revelationis ductu, miteſcent & ſopientur, fota tot hactenus ignibus partium ſtudia, atque uno Pacis Chriſtianæ Inſtituto componet animorum diſsidium. ó CIVITATEM! quâ nihil conſtantius in terris, quam ſcilicet ipſa divina ac cœleſtis Sapientia, inconcuſsis principiis nixam, nec à recto ad finem Mundi aberrantem, & primis fontibus proximam, fundavit ad MAXIMAM DEI GLORIAM. O CIVITATEM! in publicum Reipubl. Chriſtianæ bonum, velut ſignum, quo collimandum eſſet affectibus, toti Mundo poſitam, & cœleſtium diſpenſatione orbium datam velut indicem, unde unusquisque homo, ſubjectionis ac dominationis normam acciperet, atque ex DEI & Chriſti Spiritus præſcripto, intra ſuam ſphæram ſingnlos contineret. O CIVITATEM! quam, novis,

ſimis diebus & ultimis ſæculis, de Cœlo deſcenſuram, ornatam ut ſponſam viro ſuo, ſe in exceſſu mentis vidiſſe, qui & alia omnia vidit, gloriatur Apoſtolus, ad cujus propoſitum exemplar, hæc amœna ſitu, foſsis, portis, turribus, fundatur in terris amœnitas.

26. *Ignoti nulla cupido*, vetus, & verum dictum, quia rerum earum quarum oculos fugit pulchritudo, nec amor in illis figit domicilium. Quo circa audita ejusmodi Civitate, ſcire volent aliqui, illius imaginem, quæ ſi deſcriptæ amœnitati reſpondeat, multi pulcherrimam, etiam reluctantibus affectibus concipient. Quid reſpondeam illis, non invenio, aut quod deformius videbitur, me latere fatebor. Siquidem illius forma, qualiscunque futura eſt, ipſa Regum & Principum authoritate & arbitrio formatur, quorum voluntates & conſilia, cum omnium adhuc cognitionem fugiant, & jam aliqui ut rem inutilem, aut impoſſibilem arbitrantur, fruſtra nitar oculis pulcherri-

mæqualitatis absentiam commendare. Interea quis me de eâ Civitate pulcherrimè sentire prohibeat, cujus formæ pulchritudinem; ex præsumptione omnium Bonorum, ita volentibus & annuentibus Regibus ac Principibus, non tantum variorum Artificum labor exornabit varius, sed tantorum quoque FUNDATORUM, æmula ex virtute gloriâ, prodigalis adaugebit liberalitas ac munificentia. Pulcherrimam quis non concipiat? cujus amore tot capientur populi, tot gentes ac linguæ, scire cupientes, quis locus ille fuit, & qualis Civitas, unde Orbi universo, tantum beneficium emanavit, ut sepositis odiorum Causis, damnata tot opinionum insipientia, suam ex paucorum Bonorum sapientiâ, communicavit Harmoniam. Nec vero tantum pulcherrimam sed & splendidissimam concipio, quæ scilicet Solis instar, magna luce sua Mundo conferentis beneficia, lumen suum Gentibus & infidelibus effundet, nec prius recipiet, quam ex animis auferat cæcitatem. Ita non opinari, sed credere

nos jubet, manifestum Prophetæ testimonium, promentis & promittentis, unam tantum in Ægypto futuram Civitatem, & ex nomine Principis Syderum nuncupandam. CIVITAS (inquit) SOLIS VOCABITUR. Nec ambigendum est in hac excæcatarum mentium caligine, CHRISTIANITATEM, *Ægyptum* spiritualem designari, ut frustra aliam alibi quam inter nos quæramus tenebrarum caliginem. Unam tantum signatè retulit divinus Vates, nam cum unius Ecclesiæ nomine fundanda est, plures dari hac stante, sine schismate non possunt. Et quis Regibus plures imponat? cum de hac unica tanta adhuc est dubietas, & quæ in controversiam venient inferius, molesta disceptatio? Non potuit etiam aliter quam Solis Civitas nuncupari, tum occasione mysterij, tum ratione doctrinæ, & bonorum operum, de quibus dicitur *sic luceat lux vestra* &c. Cujus solius gratiâ, *ambulabunt Gentes in lumine illius, & Reges terræ afferent gloriam suam & honorem in illam*, & cujus NUTRICII, ser-

mone Prophetico *Reges & Principes* tantum futuri ſunt: & ad quàm Gentes & populi venient, ut reducantur; quæ ſi nulla eſt, aut nulla eſſe debet, quorſum ituri ſunt, cum locus qui Eccleſiam adumbret, debet eſſe neceſſario viſibilis? niſi, qui, illam ſpiritibus, non hominibus, fundatam novo plane opinionis commento probaverit. Ut nihil mecum de ſucceſſu dubitet qui Cauſas expenderit, quarum omnium reſpectu, ad condendam ejusmodi Civitatem, libenter aliquid de ſua diligentia, & commodis, cum Regibus ac Principibus, Orbis contribuet Chriſtianus. Quod ſi cuiquam debilia adhuc argumenta videntur, quod dubia alicujus rei ratio, tam falſis, quàm veris aſſentiatur, unde ſtatuere difficile ſit, rei abſentis pretium aut neceſſitatem, ipſum ad ſequentia remittimus, ut incredulum animum graviores permoveant conjecturæ, quarum prima ac præcipua erit, Dei Op: Max: voluntas ac directio, & quæ inde proficiſcuntur, ſalus publica, reformationis neceſſitas, Gentium & Judæo-

rum


rum conversio, Regum & Principum Christianorum suprema potestas. Ut si his considerationibus liceat eam ut necessariam, pulchram, & lucidam concipere, licebit etiam tam necessariam pulchritudinem, ex ejusdem luminis reflexione & influxu, ut oculis quoque pateat, aliquo modo adumbrare, salvæ tamen divinæ humanæque Majestatis dispositione & arbitrio. Illorum tantum gratiâ, qui, divinis inspirationibus agitati, hoc arcanum æternæ sapientiæ beneficium, magno cordis solatio percipiunt, & de illo communiter cum gaudio loquũtur, ut tanti boni excessu, judicare satis nequeant, molestiusne ferant, optatissimæ rei moram, an dulcissimæ spei tormento mulceantur cupidius. Quod cum facio, nemo arbitrabitur me idcirco lineas istas otiosas duxisse, ut aliquid præscribam in Orbe Dominantibus, sed in parva tantæ rei adumbratione, vastissimum Campum, ad quos ille, meliori jure pertinet, Regibus aperiam, in amplissimæ conjecturæ libertatem.

27. Non abſimilem huic delineationi iſtius pulcherrimæ Civitatis imaginem, jam ante biennium, me delineaſſe arbitror, & aliquid de ea ſolemnius conſignaſſe, ſed ut eſt humani ingenii vecordia, ereptã, aliqui familiariter, velut ſuam hoſtiliter fecere: quare, ne inter privatos parietes, aut arcana ſcriniorum contabeſcat, lucemque illi, quam meretur ſubtrahat invidia, aut provocante ambitionem mendacio, fiat paucorum illecebra, multorum admiratio, omiſſa latiori adumbratione, brevius contractam in hac præſentamus Tabula, quam, curioſis animis, & ſcire receſſum cogitationis noſtræ volentibus, ſine anxietate exponimus.

Primo, Centrum, hujus quadratæ Civitatis, Templum rotundum eſt, cujus extentæ partes, formam Crucis effigiant, & portæ quatuor, totidem Mundi aſpectibus exponuntur.

2. Circumducitur templum & ejusdem ſpatium, ſolemni & primaria Domo, habitatio 24. Seniorum, cum Principe




CIUITAS SOLIS VOCABITUR.
Ambulabunt Gentes in Lumine illius et Reges Terræ afferent glo„riam suam et honorem in illam.

cipe & Præſ
dicitur.

3. Circa
eſt Porticus
areis hortul
lactis.

4. Quic
rum eſt, ſu
fariè diviſæ
porticum &
ſteriores æ
proſpectu
quaſi omn
Nulla dom
jectum non
ambitu ſep

5. Do
pientum,
efficiunt
tera D. in
boribus c
cumcirca
ſuo non ca
tium arce

6. Pe
miliores D

cipe & Præſidibus, quæ HARMONIA dicitur.

3. Circa Harmonicum ædificium, eſt Porticus Sapientum cum duodecim areis hortulorum, cœnaculis, & ambulacris.

4. Quicquid circa porticum domorum eſt, ſunt ædes 144. ſapientum, bifariè diviſæ, ut anterior domorum pars porticum & Harmoniam reſpiciat, poſteriores ædes ita diſpoſitæ, ut viciniâ & proſpectu murorum portarumque, quaſi omnia defendunt, ac tuentur. Nulla domorum eſt, quæ hortum ſubjectum non habeat, nec ab invicem niſi ambitu ſeparetur.

5. Domus in quadrum ductæ Sapientum, & ex diametro quaſi abſciſſæ, efficiunt vaſtos quatuor angulos ſub litera D. in quorum ſpatio forum eſt arboribus conſitum, cum ædificiis circumcirca Mercatorum, ita diſpoſitæ, ut ſuo non careant ambitu, ad ambulantium arcendam injuriam.

6. Penultima lineæ oſtendit humiliores Domus, Artium & Artificum,

& ad

& ad amoliendum laborantium strepitum, officinæ ipsi Civitatis muro, annexæ,

7. Utima linea portas habet, sed ita ut juxta quatuor Orbis clymata, quodlibet tribus gaudeat, numeroque in quadrum ducto duodenarium non excedat.

8. Duodecim portis, respondent duodeum Hospitalia, ea forma, ut porta Civitatis aream cujusvis Hospititij publici, & Xenedochij secet, & qui Civitatem intrat aut egreditur, miseros videat, & humanitatis ex lege Christiana moveatur, moneaturque.

Universa Civitas constat 300. ædibus. Octo principalibus, & 12. in transversum plateis: quatuor foris: uno templo, una Domo, una Harmonia. Eâ moderatione concepta omnia, ut nec paucarum Urbium ambitum attingant, & multarum Villarum constitutionem vix æquet.

28. Hanc, aut aliam delineationem, Sapientum Virorum inventioni & ingenio, Reges & Principes permissuros, qui

qui cætera permisere, sicut nos credere nostra jubet præsumptio, ita dubitare non sinit Dominantium indulgentia, ut jam aliud non restet, quam, illud deducere argumentum, quomodo CIVES Civitatis ipsius appellandi sint. Equidem ut singulare nomen ipsa Civitas sortita est, ita quoque illi, in quorum gratiam hoc tantis affectibus fundatur domicilium, sive Ecclesiastici ordinis sunt, sine status Politici homines, quos tam ingentibus negotiis in rebus humanis Regnantium præfecit cura & solicitudo, vocabuntur SAPIENTES CHRISTIANI quod rerum divinarum amore, & humanæ studio salutis, divino zelo & spiritu afflati, humanæ ambitionis tumorem resignarunt, atq; divinè sapiant præ cæteris. Quræi jam merito potest an præter hos centum qundradinta quatuor Sapientes, plures ad hanc societatem homines admittendi? cui quæstioni bifariè potest responderi, si à Regibsts & Principibus Christianis, ad tempus tantum definitum, est sapientibus Viris

locus

locus conducendus, tum fieri non potest, ut istis, major accumuletur numerus, quibus & certum conft tutum est à fundatoribus beneficium. At, si illa est Dominantium in Sapientem nationem gratia, ut ex eorum merito & æterni beneficii memoria, Civitate ac territorio donentur, nullo jure debet aliquis excludi, quin præcipuè illi admittendi erunt, quos cœlestis rerum creatarum Sapientia, supra alios mortales, insigni arte vel scientia fortunavit. Nam si excluderentur, magna in DEUM injuria foret, cujus electionem in scientiæ donis sequi & amplecti, dignum & æquum est. Atque utinam hoc divinitus inspiratum orbem universum demerendi propositum, ita omnibus placeat, ut etiam per se, vel per alios inflammati & incitati, trahantur non magis Sapientum Virorum gratissima consuetudine, ac sanctissimo societatis instituto delectentur, quàm omnium etiam in Mundo, arcanarum & manifestarum artium, ac scientiarum ducantur inquisitione ac desiderio. Cum enim

enim partes Sapientiæ, ſcientiarumque variarum diviſæ ſint in varia variarum Nationum & Perſonarum notitia, atque velut ſub ſeverioti cuſtodia, apud hos, aut illos ſerventur; quarum aliæ aut nimis diductæ, prolixitate ſuâ evaneſcunt, aut infinitis propè laboribus ſparſæ, niſi in unum corpus prius coeant vix reperiuntur; iſtud profecto ſalutari orbem juvandi ſtudium, & omnia in melius reſtituendi profeſſio, quicquid ubique eſt arcanarum Artium, ſcientiarumque, rerumque extraordinariarum, manifeſtarum aut reconditarum inquiſitionem complecteretur: cujus utilitatem seriò non ſolum Regibus ſed & cunctis mortalibus expendendam relinquimus. Quam ob rem vero? nempe ut animi humani rebus iſtis imbuerentur, ingenia latentia in lucem extraherentur; ignorantia, qua naſcimur reſecaretur, atque illa omnia ac ſingula, quæcunque ſub Sole, per varias orbis plagas (ut dictum eſt) diſperſa ſunt, in unam Civitatem, velut penum aut alveum coacta, uno ſtudio & ani-

morum

morum nexu colligata; unde non parca manu aut viritim, sed effuso sinu & per agmina, diffusis ingestisque beneficiis, Regna, terras, provincias, & orbem universum bearent, non absque humani generis solatio, & maxime utilitatis incremento. Ista enim Virorum sapientum, primaria debet esse intentio, ut omnium laborum ac operum fructus redundet 1. In DEUM, tanquam rerum universarum sapientissimum architectum, ejusque sanctissimi Nominis maximam gloriam. 2. In universos Reges Christianos & Principes, velut beneficos Orbis, ac Urbis suæ Nutritios. 3. In totum humanum genus, quasi membro unius Corporis, & varie sumptum, quasi Civibus uuius Crvitatis. His enim tribus, ex asse, & Conscientia obligari dabet, quisquis in universalem hunc locum, & Civitatem, Civis aut Collega migrare voluerit.

29. O Cives! O Collegas! O Viros! ubique *sapientes!* & in humani

generis

generis commodum maximè natos? qui, non ferro & armis, sed eruditione & ingenio, dominabuntur Astris, & hominibus. Ignoscat orbis, si ad hanc unam Urbem, nostra recurrit, ut persanetur, insipientia; si ad Civium, hujus Civitatis sapieutiam, velut rerum intelligendarum omnium absolutam normam, quam, nisi effundendam, non optant, nostrum subjicimus ingenium; in quibus, tanquam omnium divinorum numerum possessoribus, aliquid mortali majus, & Cœlum suspexit, & homines admirantur.

30. Dulce vero fuit, ita me DEUS! in illorum excurrisse præconium, quos orbi Christiano, magno Cœlum mysterio detexit, & adhuc jucundum est in illum Cœtum & societatem contemplatione defigi, nedem admittere aut intueri, cujus ad divinitatis normam effictum exemplar, non in Poëtarum commentis, sed divinarum scripturarum oraculis præcessit, & inter alia, novissima in excessu mentis posito

reve-

revelavit visio Johanni: ut qui Civitatem, illiusque Civium Sapientiam numerumque mysticum animo percipit, ac virorum istorum bonorum vota, preces, dolores, suspiria, excessus mentis, & animi labentis deliquia, passim decantata, audit, videt, intelligit: næ ille mihi stupidissimus videri posset, qui, MULIEREM illam, quæ amicta SOLE, & insignita Diademate Stellarum duodecim dicitur, in istorum imagine, veram præsentium & futurorum imaginem non agnoscit; tum demum de immanissimo Nominis Christiani hoste, qui Luna signantur, triumphum & victoriam Christianos ducturos, cum ipsi, prius abjecto inconstantiæ dedecore, horum sapientiam admisserint: qui jam ex obstinata humanarum affectuum pervicatia, velut parturientium doloribus, & cruciatibus circumventi, *clamant*, & in isto, odiorum ac dissidiorum inter homines Christianos tumultu, dum pauca vident quæ ad vota procedunt, cum prædicta *Muliere*, dolent, & cruciantur, quam, apparuisse tantum

in Cœlo fertur, mox poſt varias draconis & beſtiæ inſidias, ſecurè latuiſſe, divinius emerſuram: ut inter varia vitæ humanæ certamina, ſpem haud levem faciat SOCIETATI Sapientum, quæ tametſi impugnetur, VIRTUTI ſuæ, tot emptæ & adhuc emendæ doloribus, magnum ac ſufficiens ea ſecuritate præſidium oſtendi: dum in hoc firmiſſimo rem publicam Chriſtianam juvandi deſiderio, animos ſapientum zeloſos, in decumanis periculorum tempeſtatibus & procellis, jubet eſſe ſecuros ſapientia divina & victrix, victores ſuos coronatura, non ex pugna, ſed fugâ, ſi ſalutem extra contentionum ſtrepitum, contemplatione & ſeceſſu quæſiverint, ut bene lateant, & nec mergantur glorioſius emerſuri. Nam quia frequenter ipſa Virtus bellis & præliis petitur, inde modum, ſi me quoque aliquis laceſſiverit, accipiam; quo, certius me contegat præſenti munimento impoſterum ſilentium. Sed prius expediendi mihi ſunt, Regum & Principum gratioſi, quos etiam per obſequium & reverentiam

non facile placaveris, qui noſtrã quietã ſapientum virorũ conatũ, & glorioſam ſanctæ Civitatis Structurã, & turbant, & ſugillant, & impediunt. Quo ſanè obtrectationis inſtituto, non oportebat Viros Aulicos, alioquin Magnos, peſſimorum conſuetudinẽ imitari, qui ſuaptè natura in vitia proni, ea, quæ, morũ ſimilitudinem fugiunt, & exemplum in rebus peſſimis haud ſequuntur, ſolent vocare in quæſtionem & contemptum. Nam ſine iſtis etiam, ſatis animadverto, quanta in medium afferri poſſunt, & præſenti conſilio adverſantur; ut objicienda nõ ſint, quæ ipſi videmus. *Primo*. Igitur obſtat nobis omnibus, inviſa illa & otioſa avariſſimis auribus, in utilibus quoque vitæq; neceſſariis adminiculis, expenſarum ratio; & in uſum rei pulcherrimæ dignioriſq; præ aliis, ſimulatus inter homines, pecuniarũ defectus; qui, etiã maximæ expetitas voluptatũ cupedias moratur & affligit, ut hoc querelarũ dolore, an colore nõ fruſtra quęſito, diſſimulanda mihi quoq; nõ ſit, iſtorũ gratioſorum ſententia, & apud Reges præcipue & Principes, ex conſueta ſervorum adulatione,

tione, an mendacio! accersitus egestatis prætext⁹. *Secundo*, Quantū impendēdū est temporis, formandæ Civitati, ad cujus consummationem perfectionemq;, obstabit jactura non præsentis duntaxat ætatis, sed & futuri sæculi, ut parentum labor pereat in filiis ? &, ingens illa in orbem universum peribit utilitas , si etiam diu & quasi ex proposito dilata, expectare cogatur, absolutum operis regii fast:gium, Nam quantum putabimus temporis traxisse secum, donec culmen suum attigessent Ægypti Pyramides ? quantum vitæ & ætatis curriculum sibi vendicavit, illud immensæ altitudinis & crassitudinis in Babilonæ murorū spatiū? Colossus Rhodius ? Cariæ Mausolæum? & quicquid cum istis, Mundo velut miracula commendat sudatus artificū labor , aut ostentat prodigum fundatorū pretium ? *Tertio*. Accedet prædictis objectionibus, etiam illa, quæ affectus plurimum turbat , rei inauditæ novitas , & licet utiliter ad salutem humani generis & omnium Concordiam inventa, nihil tamen molitura est apud eos, quos pridē pietatis & Justitiæ infamavit cōtempt⁹.

Ad. 1. Ut proprium Noctis est, diem fugere, & tenebris splendorem amoliri; etiam filiis tenebrarum, valdè familiare est, omnia illa difficultatib9 irretire, aut circumvenire mendaciis, quæ metuunt, aut à quibus abhorrent consuetudine & natura; atque in fugæ vel odii prætextum, quasdam causas fingere, quæ robur aliquod animi, aut vim consilii, aut ex difficultate etiam impossibilitatem adumbrant. At in harum objectionum caligine, quæ Regnantes excusare, & accusare sapientes videtur, non opus est, ut suum cæci interponant contra lucem judicium. Pudor namque istud est de summis in terris Potestatibus, & quidem insimul omnibus, concipere, qui, vel unius Regni Galliæ æstimat divitias: quid censendum de singulorum opibus? quorum imensus luxus fastusq; atq; infinitæ in res etiam tristes & acerbas expensæ, suspicionem quoq; defectus & notam inopiæ jam pridem excluserunt, ut qui istud mecum aspicit, longe plura, & his majora, pro concepto sapientum negotio, si semel admiserint, sibi

ſibi facile perſuadebit. Quid enim non facturi ſunt, qui ſe ſentient illis Spiritibus urgeri, quibus Anteceſſores paruere? neq; indignum Regali indole ac liberalitate putabunt, ſi quidquam in orbis laborantis contulerint neceſſarium remedium. Ipſe ego non credo, ut qui tam prodigi ſunt, in fugitivarum voluptatum, quæ tot doloribus emuntur vanitatem, in tam ſalutari propoſito deficiant, obſtetq; *Regno DEI* & Chriſti, illa, probroſa noxiaque famæ, prætextu difficultatis, vel exhauſti ſcrinii, tenuitas, an etiam tenacitas? Summum Regum faſtigium, *Sapientia* eſt, quam non minor comitatur famæ deſiderio, *Gloria*, quæ profecto nuſquam in orbe terrarum attolletur ſublimius, quã in hac CIVITATE, cujus illa baſis eſt. Qui magnificam divinæ ſapientiæ fabricam, immani taxare non dubitat pretio, ponat oculos, calculoſque, non ſupputando ſumptus, ſed eorũ reputando virtutem, qui hoc univerſale excogitaverunt ædificium, cujus *omnis gloria ab intus*. Quod ſi de exteriori quoque ornamento, aliquid Regnantes ſtatuerint,

tunc istius splendidissimæ Civitatis ambitum, non ex nostra Geometria, sed Regum & Principum gratiâ æstimabitur à sapientibus, qui cum Mundum universum cupiant obstringere, digni sunt, qui tanti habitent, quorum major est omni auro & pretio, recessus, & orbe melior intentio.

Ad 2. Si ex tantæ molis consummato opere suam Reges & Principes quærunt gloriã, & ipse libenter fateor, TEMPUS non suppetere, & si Saxorum tantũ movendorum amor est, cogitque regales animas famæ quoq; cupido, laborem diuturnum ut cũ successoribus partiantur oportet. Quapropter consultius videbitur, si inter jacta Civitatis fundamenta, quæ suos lapides & Artifices expectant, vivis prius statuis prospiciant, à quibus, illud accipient Reges, quo, & fama eorum & gloria, non diuturna, sed æterna sit, nam unde deficiat, non habet. Quamobrem in divinorum operũ solicitudinem admissis sapientibus, Regiis primum sumptibus subveniendum est, ne egeant. Quia in laboriosa fortuna, req; angusta domi, quæ, operum curarumq;

rumq; aſſiduitate conſtat, obtunditur facillime, illud in rebus bonis maliſque, eligendi aut reprobandi judicium; tum decernendi ac diſponendi, rem publicam aut privatam diligentia & ſuavitas. Si nullo indiguerint, in hac ſalutarium & maximarum rerum directione, nullius cupiditatis labe maculabunt gloriam ſuam, cujus nulla erit, apud *Pios*, *Bonoſque* neceſſitas. *De* iſta Regum & Principum circa ſapientes cura & providentia, nihil eſt quod apertius dicam: cum & ab otioſis, illud tritum ſæpiſſimè jactetur, *dignus eſt operarius mercede ſua*, quaſi & ignavia, juſtis non debeat privari præmiis, maxime cum in abſentis diligentiæ locum, adumbrato labore ſucceſſerit. Regiæ Liberalitatis præconium, Regum gratiæ adſcribitur, cujus immenſa gloria, nullo in terris indigebit vehiculo, ſyderibus jam pridem illata eſt. Cæterùm ut ad rem ipſam veniam, magnifica divinæ ſapientiæ fabrica, magnis ſumptibus non indiget, Locus ſimplex ſufficit, exemptus ab omnibus one-

 ribus,

ribus,& pro liberis ingeniis liber, sibiq; ex primæva innocentis ætate redditus, seu pagum habeat, seu villam, & susceptæ institutioni opportunus, in quo vilia tuguria, & humiles casas, probrum suum non putabit sapientum Natio. Nec orbis ex modesto virtutis genio, sordidas gemmas credet, quæ sub luto habitant. Priusquam Romanæ Urbis surgeret ambitus, ferarum fuit gurgustium, & pecoris, non Martis campus; & tamen futurũ orbis domitorẽ populum, haud movêre angusta pastorum mapalia, & ad luteas casas, nec Civis erubuit, nec Senator, quicquid est, de aucto postea Orbis & Urbis imperio, nos adhuc ex nota virtutis Romanæ memoria, viros illos miramur, nõ statuas, qui ex humano modestiæ subsidio, tam faciles ponere, quam assumere imperium, post peractã gestorum gloriam, depositis Ducum signis & paludamento, rediisse toties ex Castris & Curia, ad focum & aratrum. At in quem finem editur tam augusta ac operosa Civitatis delineatio? Meus iste labor, forte & crimen fuit, sed, quod apud benigniores rerum humanarum

inter-

interpretes, excusabit curiositatem affectus magis, quam novitas. Regum & Principum hoc decus, hæc gloria, quibus scripsi, non præscripsi, dissimulatis interea sapientum studiis. Et illis relicto, quid in hoc negotio facturi essent, arbitrio, Verum ut omnia in unum compendium contraham, demus nihil jam superesse Regibus, nihil Principibus, & nec locus dari, nec frustra effundi pecunia. Illa certè supererit potentia, ut unã ex Imperii Civitatibus eligant, locumq; ad tempus conducant, etiam in turba deliberaturis de omnium quiete: ut quos Mundus velut *Cives* contempsit, patiatur *Inquilinos.* Dolor, istud fuit cogitare, & scribere pudor; quicunq; mecum Regios animos concipit, & sapientiæ studium intuetur, Regnantibus ejusmodi dedecus non patietur inuri, uti, nec volet, sapientum operosum studium, ad turbam strepitumq; restringere. Quibus, ex maxima causa, nec minori merito, locus liberrimus, atq; ab omnium Dominio absolutus debet assignari. Nam quo pacto exemplum le-

gum suarum fecerint, quas concepere, in loco alieno? Et ea Civitate aliquid poterunt moliri cujus adhuc talis constitutio, qualis in ægris corporibus, ut validissimo remedio totum illius corpus concutiatur, & salus pereat, etiamsi optimæ artis, sobrio & timente satis usu quæsita sit. Felix Civitas, quæ cum legibus nascitur. Ut in tantis difficultatibus etiam possibilitatem ostendamus, & quâ id ratione fieri possit, pro nobis loquatur magnus VERULAMIUS. *Omnia esse possibilia, quæ ab aliquibus perfici possunt, licet non à quibusvis: &, quæ à multis conjunctim, licet non ab uno: Et, quæ successione temporum, licet non eodem anno: Et denique publica Regum cura, licet non opibus & industria singulorum.* Major jam erit de omnium consensu difficultas, quem in Christianis desperare Regibus, non esset Christiani: quippè supra omne dedecus, & infamiam concipere est, paucorum in Orbe Christiano

ſtiano Regum & quorum numerus ſeptenarium vix excedit, in uno divinæ ſapientiæ, ac ſapientum inſtituto, diſſenſum; niſi rerum omnium ignarus ſit. Qui inter Mundi ſeptem miracula Epheſi, famoſum *Dianæ* delubrum conſpexerit, nõ Artificum opus ſed fundatorum affectum mirabitur, in cujus ſtructuram centum Aſiæ Reges conſpiraſſe, ipſo opere majus miraculum fuit.

Ad. 3. Argumentum illud, quò, reì novitas objicitur, non de nihilo eſt: ut enim tot odiis ac diſſenſionibus, conſenſit ad malorum patientiam Orbis Chriſtianus, velut quibuſdam Draconis legibus diuturnæ ſervituti, ad ſubjectionem & obſequium, cervicem & poplites flexit; & quamvis ſe miſerum ſentiat, atque ſæpius intra ſe ſervorum & captivorum more, ingemiſcat, non tamen habet mutandi ſtatus rationem; ut nolit remedium, & hoc tolerare, cui priſca quoque ſuccubuit ætas, noſtro quoq; ſæculo non habetur duriſſimum.

Non mirum est inconstantissimũ hunc mortalium statum, qui & nova semper suggerit, & rerum varietate delectatur, in sola vitia constantissime ferri; & nostrum aversari institutum, cum primæ dignitatis pertæsum, nec immortalia ferre voluerit. In rebus pessimis, homines inquietos agit vicissitudinis amor, cum contra, optimi remedii consiliique ad meliora respicientis deterret novitas. Quid Regno optabilius? & tamen possessori suo non raro vilescit? injucundum facit regiminis consuetudo, & nisi ardere ac furere conceditur alterius imperii desiderio, prius illud, quod, solum gubernare licet, non Regnantis Majestas est, sed speciosa servitus. Ita est omnino: quemadmodum bonorum successione, metimur felicitatem nostram, ita peccandi usu & consuetudine, scelerum remedium aversamur. Verum in hac universali rerum humanarum omnium omnino corruptione, quæ à mutatione abhorret, & quam, callida mortalium defendunt ingenia, ut adhuc miscendarum rerum desiderio, malint

omnia

omnia experiri, quam ſanitatem mundo concedere; nec ipſe omnia temere vertenda noſtris conſiliis arbitror. Vitia publica, ut ſenſim adulta, ita ſenſim corrigenda, & ab infimis auſpicandum, ut ad ſummum venias: neminem inde cœpiſſe, quo, incredibile fuit pervenire. Omnia efficaciſſima futura ſunt. 1. Si in univerſalibus morbis, univerſalia remedia, & apta curandis flagitiis. 2. Si conditio ſæculi, non faciet inutilia. 3. Si tempora non aliud deſiderant. 4. *Si* parabilia ſunt, & obvia.

Ad 1. Id quod ad univerſum humanũ genus pertinet, atque ad omnes Gentes, Linguas, & Nationes extenditur, Univerſale dicitur: in quo & cum quo, quicquid hactenus in Orbis ſubſidium tentavere diverſis in regnis, Reges, aut homines, particulare beneficium fuit, paucorum curatio, dum quilibet aut in Regno ſuo, aut in privatâ ſocietate, ſibi, vel tantum ſuis ſtuduit, ut adumbrata in paucis medicina, fieret valetudinis illecebra, aut prælúdium futuri interitus. Ad omnes pertineat quod,

omnium causâ suscipitur, ne ex odio unius aut plurium, obstinata humanæ pervicaciæ nausea, aut ex ambitione veniens diversum æmulationis desiderium, solvatur & instar salis evolet generalis panacea. Apta non minus erit & idonea, si sibi vim mortales fieri non putent, & suspiciosis ingeniis ipsa sanitas fraudi sit, si in infirmam ac debilem humanitatem, ex potione porrecta haustaque, nulla cadat animi sensuumque perturbatio.

CONDITIO, præsentis ætatis ut superius ægrum miseramq; ostendimus, ita hic velut sanitatis suæ, & felicitatis avida, per se singulare aliquid molitur. Nam & morbum suum multis in locis agnoscit, & quæsitis consiliis, utriq; statui conatur mederi, atq; ex detestatione corruptelarum, cupit ex animo, *apprehendere sapientiam & disciplinam.* Ubi etiam illi, haudquaquam sanioribus remediis reluctantur, quos usq; huc uno consensu Pacis ac Concordiæ tenuit odium, jam inter familiares sermones, aut tristissimas aliorum querelas nihil frequentius clamant & ingeminant:

TOL-

TOLLATUR ABUSUS. Et quod mirere, eos quoq; nonnunquam percellit rerum præsentium confusa ratio, & movet cum sensibus animos objecti turpitudo, cogitq; meliora opinari, contrarii instituti tenacissimos, qui alias, nec Regum purpuram, nec virtutem reverentur. Quid dicam de Viris Principibus, quos, seu quædam regentium movens Virtus, seu voluntas imperiosa ex meliori opinione, accendit mutationis in melius, gloriosum desiderium. At sicut omnium Artium & scientiarum, nisi in uno loco, & uno sapientum collegio, non dabitur absolutissima cognitionis perfectio, ita hæc universalis remedii Virtus, apud animos nolentes medicinam, ac suam etiam sanitatem aversantes, non erit medicina, sed pœna crudelis, ni Regnantium (ut dicetur inferius) accedat mutua omnium *concordia* & ad tantum opus abundè sufficiens unus animorum consensus. Nam DISCORDIA, quæ noxios ignes in venas omniũ injecit, & jam torridus ubiq; sanguis, in atrocis morbi remedium, ferrum & ignem concipit, Regum auxilio frangenda est.

TEM-

TEMPORA non aliud desiderant, quàm ipsum, quo, ex humanarum rerum confusione, ad vitæ usque tædium terimur, TEMPUS, quod, ætatis & sanitatis nostræ Æsculapius est, & cujus beneficio omnia consummantur, ut nostra quoque medicina, alio alexipharmaco, vel mixtura non egeat; si temperetur tempore, satis est ad remedium. Et quis scit, an non jam tempus venit, in quo, tot bona parantur Mundo, quæ, ex obstinato ad resipiscentiam affectu, nec mereatur ipse, nec homines capiant. Adeo tempore opus est, nam quod unus dies non aget, perficiet alter: sæpe de his loquendum, etiam in vito Mundo, & surdis hominibus, maximè quos, sua Ratio Status, tot circumventos artibus, mutavit in beluas. Tempore opus est, & temporis nos, opus: varius est animæ status, nunc divinum amorem respuit; veniet hora, quâ remissum, recipiat. Mira est rerum humanarum conversio, si DEO credimus, quam, ille, tot sanctissimorum Virorum vaticiniis suggessit multorum animis,

mis, & aliquando futuram, Nabuchodonoſoris ſomnio non fruſtra revelavit; quo, ſignificatur Regnorum in diverſos mores abeuntium ſeceſſio, poteſtas, felicitas, & his famoſior, pernicies ac interitus, donec diſponente ejus Providentia, ad illud quoque venire neceſſe eſt, quod, nulla vis, nulla ætas fregerit. At dum unum diluimus, alterum objicitur; plurimi (inquiunt) ſimili hactenus opinione decepti, infauſtè laboraverunt, cum in vanæ expectationis ſpem, & bonorum ſupplicium talia ſcripſiſſent. Ad majus inquirentium negotium, addidêre Apocalypticis locutionibus, obſcuriora ſigna, ſoles, annos, tempora, quibus, ſe atque alios ſeduxerunt. Deſperantis nequitiæ, aut incredulæ mentis, iſthæc operoſa objectio eſt. Non pudet ea tantum facere, quæ dicere ſalvâ honeſtate non poſſumus, & quaſi ſatis non paterent deſperatis & incredulis oracula, etiam ad obtrectationes & contumelias impelluntur. Certè noſtrum ſæculum in noviſſima tempora incidiſſe, negante homine Chri-

ſtiano,

ſtiano, aſſerere non dubitat homo maxime gentilis.

In nos ætas ultima venit.

Infinita eſt æternæ Providentiæ bonitas, & in illa diſpenſanda, quæ ab orbe condito profuſio? quis occidente Mundo, illam lucem deſperet, quam, LUX ipſa, & SPLENDOR *Paternæ gloriæ*, promiſit hominibus? Beatus homo qui intelligit, atque ad futura illius opera cognoſcenda, felix habet ingenium! & ille felicior, quem, de earum, rerum ſucceſſibus, quas prævidêre Viri pietate inſignes, tanquam fieri poſſint, dubitare non ſinit, par devotionis profeſſæ ſtudium: Et his longè feliciſſimi quos ad recreandum denuò Mundum ſua manu jam ducit Deus, ut vicariam operam, manumque prebeant Creator. Sunt iſta omnia, quæ in DEO & NATURA de rebus futuris legimus nec eventuum eorum obſcurâ ſignificatione præferunt, & mutationem ſuam teſtantur, non alio fine, quam ut ad Authorem ſuum aberrantes mortalium mentes

cogant,

cogant, de quo, varia cum ſit præter ipſam ſcripturam rerum creatarum eloquentia, ſingula *Scientiam vocis* habent, & operibus confitentur.

Vix jam quærendum, an ſint parabilia: tam parabilia ſunt morborum noſtrorum univerſalium, univerſalia remedia, ut etiam addam non eſſe pretioſa, quod ſupra oſtendimus; neque enim laudem illi merentur illi medici, qui tam pretioſæ curant, ut pretioſiores ſint ſequentium morborum dolores, quam acceptum quæſitæ Sanitatis pretium. Fruſtra curatur pretioſa ſalus, ſi morbi etiam invalidi, & expeccante materia egentis, timeantur morborum plurimorum hæredes. Emendata morborum noſtrorum curatio, actque expetitus, humanæ emendationis effectus, tanti non venit, ut inde gemat inutilis doloris, laboriſque pœnitentia. Siquidem regnorum & urbium pretiis, aut omni illo, quod auget avaritiam, aut magnis impetratur periculis, noſtra non curatur infirmitas. Sed Dei auxilio, quod imploramus:

Regum

Regum & Principum indulgentia quam orare licet: atque orbis universi consensu, quem desperare nefas est.

Parabilis autem quid ni sit medicina præsens, quam sapientes magno animo propinant, cum in Mundo juvando nunquam fuerint absentes; istorum vero præcipuam laudem meretur virtus, quod etiam præsentes sint, animo, & affectu, nec volunt rebus nostris deesse. Quid tamen verear libenter dicam; pauci sunt, nec tantis rebus sufficiunt. Paucos esse, fatemur nec immerito; neque enim tam bene cum rebus humanis agitur, ut in hac vitæ morumque corruptela, multos recenseas: pauci sunt, & inter paucissimos signandi, qui sanctam & venerabilem, ducant supra famam fortunamque CONSCIENTIÆ possessionem, nisi DEUS eligat animos, & pectora hominum, quæ dignatur. Pauci sunt VIRI isti, sed an ideo, tanto negotio minimè suffecturi? ut Mundus bonæ Causæ diffidat? timeatque concepti periculi magnitudine, summam, Ecclesiæ & Reipub. Christianæ,

stianæ,

ſtianæ, tam paucis committere? Olympium in Græcia Jovem, & magnorum certamina ludorum quis neſcit? quorum, parta ſudore gloria, in primo ſtetit, in ſecundo deſiit, dignus infamiâ, qui nominaſſet tertium. Verum ludus ille fuit: illa animi viriumque fortitudo, quæ virum oſtendit, & privatis armis, non integris exercitibus exeritur, ex defenſa ſæpius Patriæ ſalute, latiori famâ in mundo ſpargitur, ut nemo paucorum virtutem deſpiciat. Totam Romani Nominis gloriam, fortunam populi Civiumque, atque Urbis & Orbis imperium, tribus tantum fratribus commiſiſſe, temeritas non fuit, ſed omnium ſalus. Inclytum Regnum Iſraëlis, cum diſceptaretur ab hoſtibus, ut ſtragem multorum averteret, totque ſtirpium ſimul ad ſuorum caſus lugentium acerbiſſimos amolirentur gemitus, duorum Monomachia diremit, & totius gentis ſecuritas ac felicitas, ab uno puero defenſa eſt. Illa humani ſanguinis parſimonia, quæ apud ſummos & infimos, Reges, populoſque multum habere

habere rationis visa est, modum haud servavit in progressu, turpiterque jam descivit à seipsa; ut jam illius tantum siti, furorem hodiernum procreari, qui tot cædibus constat, & tot exercitibus pulsatur felicitas publica, nemo mecum dubitet; quandoquidem ubi de bello inferendo, & mutuis cædibus agitur, atque de infando regnorum & populorum periculo, consultatur, nullus est qui ex meditata universorum ruinâ, armorum & animorum furorem restinguat, approbetque illam, Caiphæ sententiâ moderationem, *expedit, ut unus homo moriatur pro populo.* Profecto haud dispar in Scholis quam Castris furor, atque ingeniorum una est & armorum violentia, nec damnosior Bellonâ, quam nocens Minerva est, siquidem illa corporum, ista animarum interitum provocat, & sæpe utrumque provocare, & perdere capax & avida.

Bella Religionis quis nescit? & motas illatasque ex humanis opinionibus & præjudiciis clades cædesque, ut

ut Christianos cum Hilario vocare non ausim, quos Barbarorum morum corruptela infamat, & funestat Civilis rabies, atque odia cum dissensionibus enervant in mutuum exitium conversa. Siquidem, *dum in verbis pugna est, dum de nominibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de Authoribus querela est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse cœpit, jam nemo CHRISTI est:* sed nec erit, quicunque in tam præsentaneo corporum & animarum periculo, quo, salus omnium vertitur, non putet eos in auxilium accersendos, qui, se & operam suam, velut communis odii victimæ, saluti publicæ, & Regnorum felicitati devoverunt. Qui, paucorum virtuti diffidunt, sumptâ supra humanam sortem fiduciâ, primæ Ecclesiæ & Christianitatis initia reputent, & duodecim Apostolorum, cum centum viginti hominibus sapientiam & fortitudinem mirat, ut miraculum

lum augeant, VERBI æternæ VERITATIS recordentur, dicentis, *in ore duorum aut trium ſtabit omne verbum.* Quid? in ſuprema calamitatis periodo, ultimo ſæculo fidelium, & noviſſimis Eccleſiæ tempeſtatibus, *duos* tantum *Teſtes* legimus, quorum virtus & potentia, adverſus falſum Prophetam, & immanem beſtiam, ſufficiat. Sufficient & 144. Viri, quos nemo paucos, aut debiles putabit, qui divinis inſtinctibus, & humanis auxiliis muniuntur. Non eſt indomita Naturæ humanæ conditio, ſi in ea reſtituenda cæleſtis & terrena concurrat Poteſtas, quam contemni in ſapientibus non eſt æquum; cum ſuprema omnium ſit, nec alia lege regatur orbis, cujus *Homo* pars tantum eſt.

30. Univerſalis remedii neceſſitas, non minus Regum & Principum, quam omnium hominum LEX eſt, cujus occaſio, cum tam ſuaviter oculos noſtros & animos prætereat, etiam à ſingulis excipienda eſt: ad quid enim inutilis ac perniciosa cum cunctatione reluctatio?

quâ

quâ cœlesti ſapientia trahimur, eundum eſt, quæ nihil unquam voce validiori poſtulavit, aut Mundo minata eſt. Quemadmodum nullus jam timor eſt nobis, eos ſequi, illiſque credere, quos tam eximio negotio ſuffecturos arbitramur, ita nec verecundia erit, Mundo tot opinionibus fatuo, ac vitiis fatiſcenti, ſi ad hos cœleſtium ſecretorum conſcios viros, divinarum humanarumq; legum Profeſſores, Rationis dominos, & affectuum domitores, veniat, ac erudiri ad ſalutem & concordiam patiatur. Quos, Reges & Principes colent, Boni amabunt, nec metuet ſuſpicioſiſſimum Vulgus, expectent autem omnes, ea omnia, quæ communem ſalutem, & publicam felicitatem contingunt. Certe Romanos rerum Dominos, gentemque togatam, non puduit à palliatis Philoſophis doceri ad ſapientiam; & Leges Pacis ab illa gente petere, quàm bello ſubegit. Pulchrum erit & ſalutare ſapientum iſtorum judicio, ac legibus ſubjici, qui nunquam non ad ſalutaria, laudandaq; provocabunt mortalium mentes, nec inani ſapientiæ faſtu, at Chriſtianæ modeſtiæ

 & chari-

& charitatis & virtutum omnium professione, præsentis & futuræ ætatis, velut Dictatores, Pietatem in DEUM, Justitiam in homines, Concordiam ad omnes, depravatis naturâ & institutione animis & ingeniis instillabunt. O Augustos Reges! fortunatos populos! qui æternæ ac temporalis felicitatis avidi & simul capaces, maximum bonum suum ita intelligunt, ut etiam ad acquisitionẽ illius, magno voluntatis nisu, majori emendationis desiderio, deniq; maximè, maximo Christianæ charitatis exercitio, enitantur. Parum, aut nihil prodest, aliquid repperisse, nisi magnis viribus advitare, ut, si pulchrum, si bonum, si utile, & salutare, tuum quoq; facias.

31. Atque hic est finis, scopusque, nostræ omnis intentionis, consiliorumque, quorum efficaciam, suo ex merito pretioque, Mundo, Regibus, populisque commendandam suscepimus, ut simul nec istud ab *hominibus bonæ voluntatis* abscondamus; nempè in hunc finem scopumque longe plura majoraque nobis superesse, quæ his Codicillis, velut recessibus servantur, quorum

omnium

omnium admirabilem contextum, accersita quorundam insania non capit. Dabimus autem operam, æternæ Sapientiæ beneficio, ne lateant, sed cum tempore in lucem trudantur, si in conspectu Orbis Universi Christiani, nostrum Mercurium, pro odio, (quod ex veritatis periculo metuit) gratiam retulisse, pateat. Nos interea dum incerti, in hac rationum & affectuum humanorum caligine, resignamus calamum & operam, soliciti, quid sperandum sit, aut timendum ab iratis, aut suæ famæ studentibus ingeniis: quippe multa adhuc nobis occurrunt, & ingentia, quæ ex Civili prudentia, & Scholastica disputatione contra nos, & fatidicum Nuntium afferri possunt. Verum nos, quietem nobis & illi quæsituri, priusquam densatis infinitarum objectionum & cavillationum nubibus, fortè & fulminibus tempestivam & intempestivam sapientiam nostram, cum integro capite subducamus, NEMO NOS IMPUNE LACESSET, nam contra hanc tempestatem, plane ad eum modum, quo Reges, bella cum

bellis tranſigunt, nos quoque ad corporis totius cuſtodiam, Concordiæ Chriſtianæ tutelam, ac in defenſæ veritatis ſubſidium, cum alia tempeſtate paciſcemur: quam, ni fallor in ſequentibus, ex hoc nubilo prævidemus, quæ ſi tam atrox & acerba eſt, ut Orbe cadente nobis quoque minetur interitum; tunc nil opus erit in ſecuritatem quæſitis diu latebris, magno documento ex humanis viciſſitudinibus inſtructum & imperterritum animum,

Si fractus illabatur orbis
Impavidum feriet ruina.

& nimis ille nobis

Vitæ eſt avidus, quisquis non vult,
Mundo ſecum pereunte mori.

CODICILLUS. XII.

Si Orbis Chriſtianus pergat ita deſipere, quid futurum poſtea?

EX ſinceriſſimis ſalutem publicam juvandi conſiliis, & detecta morborum communium univerſali panacea, LÆTUM iſtum NUNTIUM fuiſſe hactenus, nemo bonus dubitat, nam & illi credunt, qui de omnibus dubitare,

cum ævi nostro Philosopho, consueverunt. OMINOSUM jam non minus esse, quam omen ipsum posse averti, si sapiant homines, Christiani, & suscepto, ex spe certæ sanitatis remedio, non ignorent *fatidicum*; cujus præsagia nostram tantum impietatem & pervicaciam perstringunt. Nisi quod propriis periculis motus, & alienis exemplis territus, multum mihi solicitudinis & timoris addit, & adimit fiduciæ, tot præjudiciis referta, & ad nutum levissimum in rebus divinis & humanis, mobilis opinio, quam, supra veneficam diximus, cujus philtro nulla non hodie succubuêre ingenia, ut hominum naturam exuerint, quorum inhumanitas, aut non hominum, sed bestiarum conditio parum odiis ac dissidiis contenta, ita in homines sævit, ut malit pilo, quam stilo, flagello, quam penicillo, cruore pro colore, ac vulneribus, quam lachrymis Pacem Orbis, & humanam salutem, pacisci. Næ ATHLETAS Christi, sed diaboli; & si modestius ex charitate Christiana, de immodestis loquendum, verè ENDIMIONES, Siculo Astrologo

persimiles, qui nec signis cœlestibus, nec armorum strepitu excitantur; atque ultrò obturatis auribus, supremam necessitatem dissimulant, ne circa se sentiant, usu longissimæ contentionis mala publica Orbis laborantis. Timeant isti vindictam DEI, ego immensum istud beneficium, ne in pœnam abeat, ut quod, à pertinacibus impetrare non potuit Christianis, apud Barbaros & infideles, VERBO suo, & VERITATI quærat præsidium, atque illa, quæ hodie in Cœlo Christiano, supra decorem filiarum hominum apparuit MULIER, amicta Sole, & Lunâ sub pedibus gemente, duodecim in capite ornata syderibus, dum frustra Regnantes sollicitat, ex oculis omnium evanescens, tristis & squalida abeat in desertum, hoc est: in desolationem abominationis transeat, Turcarum & Barbarorum.

2 Insaniente Messalina, propudio libidinis, nec quidquam de imminente periculo solicita, sine dubio ut ad voluptatem vegetior, & pinguior ad pœnam suo modo prodesset, inter laxatos gulæ ac lasciviæ ambitus, *Vectium Valentem*, juve-

juvenili agilitate, in altissimam arborem conscendisse, prodidit severissimus rerum Romanarum Scriptor *Tacitus*; cumque per ludibrium sociis, quid ex alto aspiceret, respondisse: *Tempestatem ab Hostia atrocem*: inter pavidos, vitæq; potius finem, quam initium tempestatis expectantes, fecit ea facti species, aut casu vox lapsa, omnibus præsagium. Augurum filius non sum, nec in Hetruria natus, qui vel Numinis afflatu, vel longo syderum commercio, supra cæteros mortales edoctus, possim futurorum evolvere caliginem. Non aliud mihi lumen, quam quod generi nostro, ad varios istius Vitæ usus à DEO, & Natura concessum est. Nec alia rerum cognitio, quam, quæ propriis periculis edocta, alienis exemplis admonita, & eventis in dies clarior, quandoq; ultra præsentium rerum statum, non infeliciter se effundit; ut si jam cum *Vectio Valente*, mea inter providos pavidosq; admittitur conjectura, dum ex alto Mentis, nō arboris, statum & conditionem miseram Orbis Christiani contemplor; video, TEMPESTATEM ex THRACIA ATRO-

CEM, longo volumine porrectam & sensim emergentem, per campos montesque *Daciæ*, & *Sarmatiæ*, atro colore, & proxime imbrem cum tempestatibus ac fulminibus daturam sanguineũ. Non alia conjecturâ, divinioribus instinctibus imbutos animos habet, atque inusitatis indiciis, & secreta futurorum meditatione gemebundos, ejusdem tempestatis admonet. Nam quamquam novissima signa nondum apparuerint, quarum absentiâ, suam acuit in majus nequitiam pessimorum audacia; & ea quæ paulo ante præcessêre evanuerint ex oculis, tamen certissimo metu animis insidente, adhuc recenti memoria conduntur: adeò ut dormientibus quoque redeant, & quos vigilantes malè affecêre, ex præteriti sensu doloris, & futurorum reputatione, durat illa tristissimæ repræsentationis imago, quæ, insuper trepidis, & ad sua visa laborantibus, auget timorem ex armis civilibus, atque dolorem & lachrymas injungit. ARMIS, (dixi) Civilibus, quæ jam in diversa parte terrarum, nectunt dolorum semina, & causas malorum, quarum aliæ
variè

variè ortæ, & in dies haud ignotis artibus oriundæ, atroces Reip. Christianæ, & ipsis maximè Regibus & Principibus, funestæ futuræ sunt. Ut jam qui & manifestis cœlestium signis monitus, nostris terretur dissidiis, haud mecum, cæterisq; negaverit, ex ingenio solicitudinis, nisi Orbis Christianus sapiat, possessionem rerum nostrarum, non vanâ observatione Barbaris portendi.

3. Subversor Legum, ac libertatis nostræ Tyrrannus, quos spe & opinione conceperat, jam pridẽ successus recenti in *Ungaria* bello, & *Candiæ* recuperatione, plane devoravit, & quot prostravit urbes, hominesque tot suæ consecravit monumenta sævitiæ, scelerique suo per immanitatem victuro, famam & victoriam, non argento & auro, sed nostro cruore funereq; mercatus est. Nostra in scelera ultor DEUS, armat & animat adversum nos Barbarorum ferociam. Norunt enim ipsi pravitatem nostram infideles, & exprobrant; unde non futuræ dominationis præsagia sunt, maximi Turcarum apparatus, palam & aperta prædicatione jactare consueverunt, se

non cessaturos à Christianorum cæde & sanguine, donec cum ipsa, quam, in signis & manipulis circumferunt LUNA, continuis stragibus funeribusque, totum impleant orbem, quorum cupiditati unus, non sufficit orbis.

Nec dubitandum est, post subjecta quam plurima Europæ Regna, post debellatos Orientis populos, & recentium victoriarum successu magnopere POLONIÆ insidiari, ut postea grandioribus rebus cupiditatẽ admoveat; nihil omissurum, quin primus & novissimus, à Romanorum Ducum irruptione, vastatione Hunnorum Gottorumque, post sæculorum ambitum Christianorum Imperium, & vix ante frequentatã gentibus GERMAMIAM recludat. Et jam præcipua Portæ Ottomannicæ omnia subjugandi spes & Ratio, in concussione & confusione Polonorum sita est: quos primùm per dissensiones, vitio humani ingenii, occupatis, vocem manumque, contentionibus, certaminibusq; *Libertatis*, aut *Gloriæ*, aut denique Religionis, in varia distraxit, & toties proh dolor! post innume-

numeros hoſtiũ incurſus, civilis maximè oppreſſit diſcordia: quis non videt, etiamſi nos feliciora ſperare jubeat, prudẽs novi Principis Electio, Polonos fatis ultimis urgeri? ut poſteaquam convulſiſſent jus patrium, inivißent toties ſacras & profanas LIGAS, & fœdera, atq; contrariis Sacramentis imbuto Exercitu, REGI, LEGI, ARIS fociſque bellum intuliſſent, conſeruiſſentq; toties Cives cum Civibus manus, feſſi & exſangues, cedant barbaris in prædã & ſpolium. Plerique qui hoc argumentum ante nos proſecuti ſunt, compoſitè atq; magnificè, florentiſſimi *Regni* calamitatem, etiamnum mecum miſerantur. Metuendum enim vehementer eſt, ne atrox Polonæ Reipubl. caſus, vicinos quoq; populos, ut incendiorum mos eſt, in ſuas flammas trahat, & pertrahat in excidium. Cum enim reliquas Orbis Chriſtiani plagas, illæ ipſæ diſcordiarum exagitent infernales furiæ, quando ulterioribus conſenſerint diſſidiis, occupato hoc atque direpto antemunali totius Chriſtianitatis præſidio, pariter noſtra omnia & nobiſcum una, communis omnium hoſtis ſint.

Et

Et istud quidem mecum omnes pavidi animadvertunt, ut nihil *Vectio Valente* opus sit, aut quoquam monitore prodantur; cum nec illi dissentiant, qui imminentium insidiantiumque rebus nostris Babarorum incursum, non dissensionibus suis ac flagitiis, sed fatis ita urgentibus, tanquam necessarium, jam pridem ex inconsultæ prudentiæ non providentiæ ductu, imputarunt, docueruntq; frustra ista timeri, nā *quæ fato manent, quamvis significata non vitari*. Quocirca dormientibus quoq; nec quidquā molientibus, Turcis, primos cum cæteris Barbaris insurgendi adversus Remp. Christianam Spiritus, istorum dabit superstitio, ut nec Augure jam opus habeant, nec monitore, imò nec DEO, tanto minus lachrymis, aut pœnitentia: Siquidem Barbaros adversus gentem nostram & Regnum; non furor, non odium, nec ulla vis armatæ potentiæ nostris destinavit cervicibus, sed FATI NECESSITAS. Nimirum immanitate affectuum & longa peccandi licentia imbuta Christianitas, velut ipsius Numinis suasu, sanctissimas Concordiæ

leges

leges rupisset, sicut totam criminum invidiam, ita belli Turcici formidinem refert ad cœlum, & abjecta Superum reverentia, postquam satis pietati & justitiæ divinæ illusum est, DEO imputat humana omnia, sed inhumannè. Ego vero ita existimo, mala imminentia, quæ nobis errorum flagitiorumq; Magistris, justa ultione ingeruntur, non fatorum necessitatem esse; quam, si observare de Cœlo, aut inter opera advertere licuisset averruncandis cœlestium iris, omnium se PIETAS devovisset; ut quantum imbecillitati nostræ fas est, crudelitas fatorum, per officia pietatis, sacrorumque rituum cæremoniis placaretur; indictæ siquidem necessitatis legi, sacra, & preces intercedunt. Nostra ista pravitas est, & morum atque ingeniorum corruptela, quæ DEUM ad puniendum impellit, ut nobis luctuoso Barbarorum incursu, ac imminenti tyrannide, puniatur insolentia hominum, & contundatur istorum armis & furoribus, felix jam & secura contra Cœlum audacia. Qui, quâ ratione à Cervicibus nostris depelli possint, nisi inter

constrata lachrymis pulvinaria, inter aras, templorum Dedicationes, vota & suspiria, adhuc non video; & illi intelligunt, qui delicti contagione, in eã prudentiam acti sunt, quam velocissimo vestigio, sequitur internus dolor & pœnitentia. At quo modo ante Altaria stabit pietas Christiana, cujus adhuc intentio est, superciliis & oculis furere, atq; non vocibus duntaxat & linguis, sed omnibus viribus, motibusque extra pacem & patientiam Christianam compositis, non pœnam & ultionem à DEO, sed veniam & gratiam deprecari. Ut mirum nemini videatur, si causæ illæ, quarum maximè omnia timentur, ab instituto non deflectunt, ut Turcarũ rabies & jam non expactata occasione, & spe omnia devorandi nostris minetur cervicibus. quam vero istud, quod adversus Christianos Turcarum concepit aut molitur potentia, facile perficiat, docebo.

Existente me aliquamdiu, & ante aliquot annos CONSTANTINOPOLI, nempe in sede pulcherrima deformis Imperii, multa erat in propagando imperio Turcarum solertia, sed potissima,

trans-

transferendorum armorum in ulteriorem Christianorum hæreditatem, in arcano consiliorū fuit disquisitio ; cū neq; per Thraciam, Dardaniam, Dalmatiamque, vetantibus ubique aut aquis Alpibus, velut munimentis accessum, commodus aut facilis armatæ Turcorum potentiæ videbatur exitus. Sed anno demum 1655. reperêre perspicacissima barbarorum ingenia Rempub. Christianam affligendi & opprimendi opportunum magnis ausis & conatibus transitum. Si ad securitatem Achipelagi & Hellesponti, occupata CANDIA, sequentia tria præsidia, quæ ante-muralis loco, Christianis exstiterunt; VARADINUM, *Neosolium*, seu *Neopolim*, tandem KAMENICUM, suæ potestatis fecissent. Et vero proh scelus! pudorque! VARADINUM Ungariæ & Transylvaniæ præsidium, non procul spectante Germano Exercitu, simulatis studiis an neglectis imperiis infelix, *Turca* occupavit. Nec vile ex isto præsidio, imperii momentum, cujus deditione, sine ferro & igne, ultra quadraginta millia armatorum, sub jugum cessêre, quorum

ante per minores villas & oppida, perpetuum jus & in eo obſequium, adverſus im̃aniſſimum hoſtem, diu noctuque excubare, & nudum illud Camporum latus, armis per colonias diſtributis, defendere, vetare Turcarum irruptionem, & Patriam ſine ceſſatione tutari pro libertate fuit. Nunc cum *Varadino*, ad nutum Ottomannici imperii, arma coacti poſuerunt; aſſumpturi contra Exteros & vicinos, Patriam & parentes cum Tyrannus juſſerit. Quid dicam de NEOPOLI? cujus fortiſſimi opportunitas præſidii, partes ſuperioris Ungariæ, tutata, toti etiam *Moraviæ*, *Sileſiæ*, *Bohemiæ*. *Auſtriæq*; munimento exſtitit, ejuſdem belli fato, an Ducum noſtrorum culpa & ignavia, ceſſit barbarorum potentiæ. Reſtat KAMENICIUM, famâ fortius, quam re ipſa propugnaculum, & tantum ad Tartarorum incurſus inexpugnabile, nam qui iſtud, & cætera mecum aſpexit, ad ſuſtinendas Turcarum vires, & potentiam plurimùm invalidum; cum Chriſtianorum Tyrannus, & magnis ſucceſſibus ferox, oppreſſis alibi Principibus, aut extin-

ctis, tot Regnis populisque in fidem susceptis, & Ungarorum animis ex naturali inconstantia an injuria in partes ejus propendentibus, infra victorias suas *Podoliam* numeret, quo modo & quibus auxiliis ipsam pessumdare possit POLONIAM dispicit. Et nos, quam non difficulter istud consequatur, docebimus.

Primo. TARTARORUM, & aggreste Scytharum imperium, quod ante Turcam, nemo potuit vel ausus est, suo pridem subjecit Dominio, quos postquam Legibus & Religione imbuisset, parendi amorem, & necessitatem imposuit; ac velut dextra manu utens, infinitis excursionibus Orbem Christianum affligit. Non evagabor longius per *Mœsiæ* Campos, & Scytharum deserta; per alpes & montes rigentis *Daciæ*; nec pingui Pannoniæ immorabor glebæ: deflectam lubens è *Russia*, *Moldania*, *Podolia*, aliisq; vastissimis terrarum spatiis, in quibus omnibus, per excursiones, cruentas & continuas, grassatur hæc Tartarorum pestis: subsistam in POLONIA, atque atrocis rei etiam magnitudinem

nem oſtendam, ſubducam poſt WLADISLAUM Regem calculos, nec fallam rationibus Orbem Chriſtianum WLADISLAUM (repeto) Regem, qui etiamſi auro tegeretur & ebore, tam verum eſt, quod tantos cineres, nec *Cariæ* capiat Mauſolæum, cujus famæ & gloriæ, terrarum orbis anguſtus eſt. Poſt iſtius glorioſiſſimi Regis obitum, quæ bellorum ſævitia ſecuta, quæ victis & victoribus Polonis accidere, ſunt ſupra Tartarorum ferociam, quorum excurſionibus & rapinis, ultra quadringenta hominum, utriusq; ſexus millia (præter corporum occiſorum numerum) in duriſſimam ſervitutem velut pecora abacta ſunt, & indies ex ſubjectis provinciis adhuc abiguntur, quorum alii ferro vincti, per aſpera & lubrica Tauricæ, Thraciæ, Aſiæque loca, nudis corporibus, famelici & ſitibundi, ac velut pecudes, venales; viliſſimo pretio diſtrahuntur. Ingens putatur mortis beneficium! quos labor dolorque, fames & ſitis, cruciatus & extrema neceſſitas vitâ privat ac ſenſibus deſtituit: quorum

cada-

cadaveribus, per viam inviam projectis & inhumatis, Corvi & Vultures, cum ferocioribus bestiis saginantur. Alii, quos scilicet blanda & delicata educatio, à rusticanis operibus, artibusque mechanicis discrevit, circumducta nobilitate per opprobrium, majorem illis accersit miseriarum cumulum gloriosus sanguinis prætextus, cujus titulo postquam satis illusum est, locis ac fustibus, vel ad pastorum mapalia damnantur, vel ad subigendam terram, aut hortorum tutelam compelluntur: inter quos qui maximis viribus & robore præstant, exuti vestibus, & ferro aut catenis ligati, ubi æstu frigoreque, bello paceque operam suam sudoremque triremibus impenderunt, remigando punctatim enecantur. Quid de parva & insonte utriusque sexus ætate dicam? quam ipsum potuit eximere tempus, atquè enervare libidinem ætatis innocentia, hæc tamen nil discreto sexu, mangonum & lanistarum subjicitur impurissimæ libidini, & ab hac fœdissima vi patiendi, ne sexennem

quidem

quidem ætatem eximit maximus ploratus & ejulatus. Horret adhuc animus, nec credibile dictu, & tamen verum est, & ipso vero verius, nullum calamum esse, nullam virium laterumque contentionem, quæ fando scribendoque, centesimam exæquare valeat, cruentæ tyrannidis portionem. Non persequar inauditam crudelitatem, ne ipsis quoque barbaris moveam indignationem commemoratione tantarum feritatum, quibus ab orbe condito, nil unquam luctuosius Sol etiamnum aspicit. Et quamquam sævissima gens haud sæpius impune ferat tantorum flagitiorum excessum; habent enim semper suum famosa scelera supplicium, cum scilicet bellis nostris nonnunquam atteritur, ignem nefandum sanguine extincturus; nihil tamen suo remittit facinori, vel minuit, immanis Naturæ, aut fortunæ, crudelitas & libido. Auget scelus, & simul acuit gentis audaciam, multitudinis inexhaustæ numerus: & fœcunda scelera facit, nec sua damna vel pericula numerat, haud sterilis

tilis Barbarorum Natio. Nam quoties Christianis per Discordiam licuit, à cervicibus suis diræ gentis repellere tyrannidem; quanta illa respectu nostrorum damnorum fœdissimæ Nationis jactura est? dum Tartari diutius perire, quam nos vincere possumus, quorum ingens copia, etiam copiosissimè effusi sanguinis, aut occisorum, eam inducit illis inopiam, ut decem aut viginti millium interitum, cladem appellare, habeatur dedecus, aut planè sit ridiculum. Quid jam *Germani, Galli, Dani, Angli*, & omnes Christiani putabimus, si in nostram pernicium nata, imperio Turcico, & beneficio patentis undique Poloniæ, se in Orbem Christianum effundat, universa barbarorum colluvies? cum unica TAURICÆ regio, & breve crudelitatis dominium, tantopere incommodet Regnis & provinciis, nec bellis, sed tantum excursionibus. Quod adhuc tota velut aggere rupto non exundaverit immanissimæ gentis sævities, non hujus mansuetudini, sed prudentiæ Turcicæ imputandum est.

Sive ut illam in majorem nominis Christiani calamitatem reservet, sive ex arcano imperii & nostro exemplo: si tartari infelicius pugnaverint, ut immodici sanguinis minatur copia, ne infinita prope multitudo egestatis occasione ansam arripiat rebellandi.

Secundo. Post Tartarorum ingentem colluviem, habet ad manus semper immanis Turcarum potentia, immensam JANIZARORUM multitudinem, unde altera, velut manus sinistræ, Imperii Ottomannici securitas & fortitudo, quos, Legum suarum præscripto, ex primogenitis Christianorum subditorum filiis crudeliter colligit, nec solùm facit sibi obsequentem, sed etiam continua exactionis successione reddit immortalem. JANIZARI cum innocentissimæ ætatis sunt velut primitiæ, & immaturitate judicii, Rationis inexpertes, haud inviti, & quasi ignorantes, contrariũ Christi institutis sacramentũ induũt, & quam lactem tantum imbiberunt pietatem, crudelissimæ sectæ disciplina

con-

conculcant, ut, dum originis suæ, & Religionis oblitos, sopivit dulcis quædam oblivio, tanto crudelius, in amantissima parentum, fratrum, sororũ; Consanguineorumque viscera, denique in totum sanguinem Christianum, accendat insania. Et profectò, qui in conspectu Patriæ & amplexibus Parentum, ita naturam exuunt, ut proprio sanguini non parcant, quo odio imbutos censebimus adversus remotiores terras, populosque, & sola fama, & fortuna illis obnoxios, cujus causâ, etiam remotissimam armorum expeditionem non aversantur, quibus profectò ad consummandæ crudelitatis summam, & omne nefas, sola Legum divinarum ignorantia, tandem professum Christiani Nominis odium, sufficit.

Tertio. Anne post Janitzarorum fortitudinem, parum roboris Portæ Ottomañicæ accedere putabimus, defectione à partibus Poloniæ COSACORUM? cujus gentis vires, nemo putet parvis mœnibus claudi, aut brevibus circum-

circumduci limitibus: vastissimus, & fertilissimus, imò patentissimus ac magni in omnes partes momenti *Campus* est, quem COSACI habitant: quorum à cæteris vix nossemus discrimen, nisi illud non verbis sed armis in dies terribiliores, detexissent: ut majora dicere in laudē famamque, haud egeni laude famaque populi, planè sit superfluum, Certè florentissimum Regni Poloniæ statum, atque invictam bello, Polonorum virtutem servilibus Cosacorum armis imputant. Nam maximæ olim per Pontum Euxinum, prædationes, populationesque, per Campos desertos & sciticos Tartarorum clades, & famosa ad Hocimum victoria, Polonorum, sed non absque Cosacis, opus est. Inter recentissima vero exempla, qui CAROLUM GUSTAVUM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem, in bello *Sueco* Polonico cogitant, quod felix Poloniam intraverit; quod Campos ejus pervagatus sit, quod de Militibus & Civibus triumpharit, tam magnum rei brevissimæ successum

Cosa-

Coſacorum ſocietate aut perfidiâ metiuntur. Volo enim robur Nationis, non ſolum bellandi arte, ſed & fidei inconſtantia inſigniter excellere, ut qui gentis virtutem novit, haud ignoret perfidiam. Cujus beneficio in omnem partem flexibilis, ſi Turcis acceſſerit, aliquid majus ex defectionis genio auſura; receptis enim intra viſcera Christiani Nominis hoſtibus, ſi ſequi quæſtuoſum ſit, & pugnaces ac deſperatos Coſacorum animos delectet ulterior præda, faciles Turcis commodabit manus, nullumque edendæ pugnæ Theatrum *Sarmatiâ* inveniet patentius. Tanto autem pronius accedent Coſaci Turcorum partibus, quanto illos validiora ſævæ poteſtatis argumenta impellunt. Duriori enim Moſchorum dominatu ita premuntur, ut ſi ex jugo & labore æſtimanda ſit natura, pecudes potius, quam homines cenſeas. Profecto homines calamitoſi! quibus à Repub. quoque Polona, gratiæ ſpes aut omnis adempta eſt, aut ſi quæ ſupereſt, Naturæ inconſtantiâ metiuntur.

tur Dominorum beneficium. Quid faciant tristissimis *Causis* impulsi, nisi ut ad mala ruant, non eant proclivius. Et ad comunem Christianorum interitum, suum sive ex necessitate sive insolentia calculum addentes, VIRI bellatores, per se frequentes & copiosas Turcarum acies flagitosè adaugeant, atque infami inter ipsos barbaros armorum commercio, sub variis signis, mutatis vestibus, ad fraudem & deceptionem Christianorum, iidem qui Cosaci fuerant, velut Turcæ aut Tartari decertent. Plane ac si in Theatro convenissent ludere, & non de personarum sed scenarum numero, inter armatos lis esset.

Quarto. Præter hæc immania, è *Tartaris, Ianitzaris*, & *Cosacis*, TURCORUM auxilia, etiam ex nobis Christianis, Typanindi suæ inveniet munimenta. Sunt enim Domi nobis, & nobiscum quotidie versantur, qui Turcicum cum suspiriis suspectant adventum, cum enim fortunam suam per tot infortunia, in Aulis & Castris

Castris frustra quæsivissent ; à Dominis despecti aut decepti , & neglecti à Ducibus , impressionem & accessum Turcarum spe conceptæ felicitatis , aut patratu facinoris affectant : his adjici merentur & illi , quorum cupiditates, domesticis quoque bellis inexplicabiles, & pacis tempore intricatæ , nulla unquam satiavit fortuna. Alios , qui jam præcesserunt, temporis & occasionis impatientes , nuper transacto bello Turcico , durissimæ necessitati exemptos, ex defraudata justorum laborum mercede, extrema mentis vesania , an verius remediorum ultima desperatione , armis jam & servitiis Turcicis immiscuit , sublata spes emergendi. Et istorum virtus potior contra Candiam enituit , ut Christiani à Christianis vincerentur, atque imposterum quoque nemo dubitabit, eos ipsos futuros majoris sceleris incentores , ad quod facillime ab ejusmodi voto transitur , atque consiliis manibusque admoturos artes omnes & machinas , ut ubi pugnæ locus sit, pugnent : & auspicium Tur-

clcæ victoriæ, à nostris cladibus accipiant. Et quia flagrante bello, in res turbandas pessimo cuique plurima vis, non stabit otiosa plebs cum Rusticis, quæ ad id miseriarum continuis exactionibus devenit, ut graviora putet quæ patitur, quàm quæ timere possit. Quid enim ultra timeat populus, ad summam inopiam adductus, cum nec Turca crudelior, ad miserorum terrorem doloremque possit minari, vel adjicere acerbius, cui nihil jam ad audendum novandumque, quàm Turca, Duce, opus est. Ne nobis periculorum imminentium securis excidant, in bellis, non imbellium rebellionum exempla; valentissimum inter alia omnia, *Palestinæ*, cujus populus, dominante Heraclio Cæsare, solo obtentu gravissimæ contributionis, extincto Principis amore, mox & abjecto metu, acriore quam unquam pertinacia accensus, damnatis mahometicæ superstitionis institutis accessit, illiusque armis, arma; viribusque vires aggregando, victa enormium

tribu-

tributorum patientiâ, renuntiavit Cæsari & Christo, de quo egimus ab initio. Quid memorem Nationes illas, nam etiam nostræ sunt, &uno nobiscū sacramento tinguntur, vocanturque Christiani, quæ hodie durissima Turcorum servitute oppressæ, aut proximè opprimendæ, nostram implorant opem cum gemitibus, & cum lachrymis solicitant auxilium? quod, si tam diu viderint abesse, sublata omni spe Libertatis, anne putabimus, tot populos inter Vitæ mortisque discrimina, aliud quam nostrum quoque meditari aut saltem optare exitium, quippè

Solatium est miseris socios habere pœnarum.

dumque in istâ cogitatione persistunt, moriendum victis, serviendum deditis; id solum referre, an per duram servitutem, an per ultionem & vindictam novissimum spiritum effundant. Grande doloris ingenium est, furorem sæpius quam patientiam cogitat; qui, afflictarum rerum memoriâ, nostris, quam vereor! ne aliquando inclarescant periculis.

riculis. Augebunt, accensis velut funalibus, in comuni Christianorum ruina, & vires, manus, & ingenium Turcis commodabunt etiam illi, quibus, ex Romanæ prudentiæ exemplo, *Opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odêre, & nova exoptant, odio suarum rerum, mutari omnia student, turbâ atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam egestas, facile habetur sine damno*, & tales quidem, facillime inter pessimos consensu, divites & potentes ostendent digitis, cum in concussæ Reipub. privato tumultu, etiam à Sociis & vicinis prodantur.

Quamobrem, ut multa paucis complectar, non tantum æterno *Tartarorum* obsequio, immortalibus *Ianitzarorum* armis, valida *Cosacorum* defectione, sed afflictarumque & desperatarum in Christianitate partium accessione proditioneque, tot ut ostendimus turbarum, nemo

morta-

mortalium mecum dubitabit, TURCAM magnopere diſpecturum, quem virium ſuarum, & potentiæ terminum velit; contra cujus præſentiſſimum inſultum, jam nec vaſtiſſima maria, nec tot paludinoſa loca, nec tot latiſſima flumina, nec fortiſſima aggerum munimenta, Chriſtianæ ſecuritati ſufficiunt. Pudet miſeretquè me Reges & Principes Chriſtiani, adverſus quos, tantis auxiliis hic omnium hoſtis prœlium & aciem parat, & quod ſolertiſſimè pro firmando ac dilatando imperio cogitat, illud Chriſtianorum potiſſimè manibus, & fatali omnium noſtrum ignaviâ ſe perfecturum arbitratur. Nimirùm luxus, voluptas, ambitio, avaritia, impietas, injuſtitia, atque omnium ma-

lorum lerna, animorum *Discordia*, quibus, per barbaras gentes, magni & gloriosi sumus, plurimum timoris mihi faciunt, ne ipsi Christiani nefandos in Poloniam Turcarum conatus (qui Turcis favere, & eorum operam atque amicitiam solicitare consuevimus) partium studiis ac odiis seducti, promoveamus, atq; Amicorum & inimicorum negligentes, quam citissime circumveniamur ab hostibus.

Credite mihi Reges & Principes & vos Christiani omnes, qui ridere, necessitate fletum exigente, & dubitare in rebus etiam certissimis consuevistis; credite, quod istæ, quæ passim Orbem Christianum exagitant discordiarum Furiæ, postquam flam-

flammis cædibusque creverint, &mutuo adoleverint exitio, barbarorum indies prævalentium, accessuram justo DEI judicio, nostris ærumnis audaciam & crudelitatem, ut Causam bellorum, à nostris vitiis, & successum victoriarum à contentionibus accipiant, Reges & Regna misceant & evertant, atque ipsam Christianam RELIGIONEM, nec usu Libertatis ex proscriptionibus tolerabilem, nec in conscientia ex odio securam, in extremam transferant servitutem: ne REGNUM, & DOCTRINA Christi, quod sine nefando scelere fieri non potuit, amplius ad humana, inhumanis adinventionibus traducatur, atque summo pietatis & Iustitiæ contemptu; ipse DEUS inter instrumen-

ta habeatur ludibrii, & servitutis Turcorum & Barbarorum manibus curanda veniat, aut tanquam noxia, & ultimo destinata supplicio, plectenda sit.

Ita me DEUS! si sapit orbis Christianus, in tam ingenti, valido, & nihilominus blando in rebus humanis Sapientum proposito, curis suis minime hæsitabit; & illi primi *apprehendent sapientiam & disciplinam*, quos, discordia communis, Regnorum motus, populorum dissidia, denique Turcici potentia Imperii, inter extinctæ Libertatis rudera, funeraque, & cæsorum ab hac tyrannide Principum deterrebunt exempla: &, aut nostris assentientur consiliis, aut ex imminentium periculorum reputatione;

tione, doloribus contabeſcent. Siquidem nemo Sapiens, jucunde alienam tragœdiam ſpectat, qui metuit ſuam.

A. M. D. G.

-o6)(9o-

PARÆNESIS.

Ad Reges & Principes Christianos, pro Regno CHRISTI, populoq; Christiano.

INgentium commemoratione malorum, dum ex concussi orbis motibus ac dissidiis, inter spem metumque, usque ad doloris magnitudinem, & labentis animi deliquium, paucula verba ad Reges & Principes Christianos, quæro, tristissimæ meditationi meæ, opportune occurrit cum *Catone, Salustius*: quorum acerbissimis, Romanæ tunc Reipub. casibus, si nostrum occasum confero, non malè à Senatore & Historico, verba, mutatis pauculis, mutuabo; dolorum unà & orationem accõmodaturus, ut rigidam VERITATIS perceptionem, leniat quædam Romanæ, si non audet Christianæ, libertatis

imitatio. *Per DEUM immortalem!* *ego vos REGES & PRINCIPES CHRISTIANOS appello: qui semper*, ex inexplicabili regnandi desiderio & Terras, & Populos, *domos*, *villas*, *signa*, *tabulas vestras*, *pluris quam Rempublicam* & Religionem Christianam fecistis: *si ista cujuscunque modi sint*, *quæ adhuc amplexamini*, *si voluptatibus vestris otium probare vultis*, *expergiscimini aliquando*, *capessite Rempublicam*, *NOMINIS CHRISTIANI.*

Rogat vos, Virorum Sapientum docta canities, atque in genus humanum officiosa Charitas, quæ contentionem & crudelitatem detestata, ostendit præsentibus consiliis, insipienter rixis & dissidiis *ædificationem corporis Christi* procurari, atque in ægrota omni carne, periculosè ferrum mergi aut ignem suscitari, & sine vulnere orbem Christianum posse restitui.

CAPESSITE REMPUBLICAM, NOMINIS CHRISTIANI, supplicamus nos omnes & singuli, quocunque terrarum loco sumus, aut clymate nascimur, *Troës* aut *Rutuli*; & qui mala ipsi fecimus,

fecimus, aut in pœnam talionis tolera-
mus, jam morborum, languorisque
pertæſi, quæ, ante in nobis ipſis per-
ſpeximus, ſed jam receptis ex ſenſu præ-
ſentis lætitiæ oculis, non tantum mira-
mur cœcitatem mortalium, verum etiam
quod naturæ humanæ eſt, coram vobis,
ſupremis in terris poteſtatibus, fundi-
mus lachrymarum materiem, ſi in rebus
perditis, profeſſo dolore, ſperare &
ſuſpirare; gemere ac lachrymari, ſatis
eſt ad remedium.

CAPESSITE REMPUBLICAM, NOMINIS CHRIST. jubet iſtud, quæ vos in tanto rerum humanarum faſtigio, major conſtituit Poteſtas; & monſtrat utilem hanc Regnantibus ſapientiam, quæ jam circa mundi occaſum & veſperam, noviſſimis Amoris ſui radiis, mentes perſtringit mortalium; ſed illa, pleniori lumine irradiat faſtigia, quæ ad Solis iſtius radios accedunt Majeſtate propius: ut primam ſpeculi inſtar illius diviniſſimæ mentis imaginem accipiant, poſtea lucem reflexam, ad inferiores remittant.

CAPESSITE REMPUBL. NOMINIS CHRIST. ipſa vos æternarum Sedium Aſſiſtriæ, divina & cœleſtis exſtimulat SAPIENTIA. *Attendite Reges, & intelligite; diſcite judices finium terræ; præbete aures vos, qui continetis multitudines, in placetis vobis in turbis nationum:* cujus Æternus providentiæ vigor; & mens omniſcia cordis, tanquam ipſa in cauſa Mundi ſilente & perdita quæreret *Patronos*, Reges & Principes ſollicitat, jubetque *grande aliquid*, & ſupra humanam ſortem, & quod nondum Mundus vidit, à Viris ſapientibus ſperare, & expectare, ſi illis conſenſerint. Nunquam majori voce, (quia interciſis magno anhelitu clamoribus) clamavit, ſicut clamat hodie & minatur; ut ſapientes contempſiſſe æternam Sapientiam violaſſe ſit, ac æternum perire, nec diſtingui homines in inferno, ſed pœnam & ſupplicium etiam dignitate augeri. POTENTES (inquit) POTENTER TORMENTA PATIENTUR.

CAPESSITE REMPUB. NOMINIS CHRISTIANI, & *præbete aures* & Cor, divinis inſtinctibus, neque

dubitate

dubitate Viros ſapientes in partem regiarum curarum, accerſere, qui jam nullis honoribus fulgere, ſed mactari oneribus poſtulant, & veſtrum in mundo juvando implorant auxilium; quo obtento, credunt ea certiſſime perfici poſſe, quæ pro ſalute humani generis, animo conceperunt.

CAPESSITE REMPUB. NOMINIS CHRISTIANI, & ATTENDITE REGES ET INTELLIGITE, quantum in omnium veſtrum ſitum ſit conſenſu & imperio, & placeat dare gloriam DEO atq; illis remediis ſubdi, quæ afflictum Eccleſiæ & Reip. Statum, opportuno conſilio reducant, atq; orbem univerſum Chriſtianum reſtituant. Profecto ad cooperandum divinæ voluntati ex æquo obligantur omnes. Sed illi maxime, Maximi invitantur, qui ſanctiſſimi numinis in terris vivam imaginem referunt, atq; non ſine omine, nomen divinitatis ſortiuntur.

CAPESSITE REMPUBLICAM NOMINIS CHRISTIANI, & *præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.* Viro-

rum ſapientum conſiliis, atque ex morti corruptorum ubique intuitu, univerſorum amantes & dolentes ſuccurrite doloribus, ſiquidem

— — cum levis magnas opes
Huc ferat & illuc caſus, hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiat
PRODESSE MISERIS, *(dies.*

& ægris mortalibus. Nam ſi ita, uti ſunt perduraverint omnia, quid fiet, cum jam major ſit facta peccandi licentia? aut quæ Pacis & concordiæ ſpes, ubi turbulenta hominum ingenia, longe audacius procellas movent, & accendunt fulmina? quorum contentionibus, & quadam diſſidendi in mutuam perniciem libidine, illam, in afflicta Chriſtianitate, Eccleſiaſtica dignitas, ac civile regimen in Regno & Eccleſia habebit imposterum tranquillitatem, quam habet acus nautica, quæ contactu Magnetis, quia circumſtante ferro trahitur, tremit incerta, & quam cœli partem reſpiciat, invenire non poteſt.

CAPESSITE REMPUB. NOMINIS CHRISTIANI, & quia Regum exemplo ducimur mortales, redeat ve-

ſtra

ſtra omnium pietate concordiâ, in unam animorum harmoniam, unanimi gentium conſenſu, incerta ſui & tot partium ſtudiis oppreſſa RELIGIO. Triumphet in Regnis, & Regum ſoliis, de fraude ſua, & longa injuria, feſſa tot malis Pietas & JUSTITIA, ut eam infamiam cœleſtes virtutes evitent, quam ex hominum malitia non merentur. Veſtro ô Reges! ô Principes imperio ſapiat tandem ſui impotens, & in animarum fortunarumq; exitium, nata contentioſiſſimorum ingeniorum pugnax eruditio: Faceſſent veſtro etiam ſeveriori aſpectu, illæ contentioſorum hominum acies, quas viri ſapientes, & omnes Boni, non plus odêre, quam dolent, horum linguis & calamis, quaſi pugnis & præliis, orbem Chriſtianum tantis agitari furoribus, contemni ſupremum numen, deprimi Poteſtates, nutare regna, & quæ ipſa temporum ſerie, ſacra eſſe debuit Chriſtiana Religio, ſcindi ac diſtrahi per tot ſectas & ſchiſmata, tot everti & confundi humanis rationibus, quæ CHARITATEM, Dominam neſciunt, & omnium errorum veluti fomes ſunt, quibus

deducendis, nec rerum universitas nec æternitas temporum, sufficiat.

Quod si jam istum verè regium & humanæ saluti perquam necessarium à Regibus & Principibus impetramus assensum, ut DEO velut supremæ omnium Potestati, Regentes pareant, & tantorum in mundo malorum pertæsi, nostras supplicationes, lachrymas, & quærelas admittant, haud dubitabit æterna rerum omnium fundatrix sapientia, id, quod per Viros sapientes concepit, & quibus salutares intentiones inspiravit, & illorum cogitationibus præest, per oculos futura prævidet, per manus in orbe operatur, perficere AD MAXIMAM DEI GLORIAM.

Neq; nos, quomodocunq; istius luminis illustrati beneficio, unquam dubitabimus, de uno REGNO CHRISTI, in in quo unus cultus DEI, & unum Christianum regimen.

Una erit ECCLESIA Christiana, quemadmodum DEUS unus est, Creator Cœli & terræ & conservator rerum visibilium & invisibilium omniũ: quamvis distinctus in Personis. Una erit

EC-

ECCLESIA CHRISTIANA, ſicut unus eſt Filius Patris, JESUS CHRISTUS, Rex ſæculorum immortalis, Princeps Pacis, Meſſias Judæorum, Gentium expectatio, Reparator univerſæ carnis, quamvis diverſus in Naturis. Una erit *Eccleſia Chriſtiana*, uti unus eſt, corda fidelium in unitate fidei, ſpei, & Charitatis, uno more regens, DEI, & *Chriſti* SPIRITUS; quamquam varius ac multiplex, in donis ſuis & muneribus. Una erit ECCLESIA CHRISTIANA Catholica, Apoſtolica, Sponſa Chriſti, uti unus eſt Sponſus ejus, JESUS *Chriſtus*, Paſtor & Sacerdos, ſecundum ordinem Melchiſedec: quamvis combinatione cœleſti, ex coalitione Gentium & Judæorum, diſperſa in Nationibus, & obſervationum cæremoniarumq; externarum velut Regina, *circumdata varietate.*

Una etiam erit RESPUBLICA CHRISTIANA, ſicut unum eſt *Regnum Chriſti*, quod diſpoſuit à ſæculis, quamvis illius diverſa Hirarchia, ex parentium obſequio, & imperantium dignitate. Una erit RESPUB. CHRISTIANA, ut una *Domus*, in quâ tamen ipsâ, civile eſt

imperium Mariti & Uxoris, & diſtincta ex ſexu, officia. Una erit RESPUB. CHRISTIANA, quemadmodum unus *Homo*, in quo diverſus ſtatus, ratione Corporis & Animæ. Una erit RESPUB. CHRISTIANA, uti una eſt *Civitas*, quæ ex variorum hominum conventu ſociata, una tamen omnes Legum tenet obligatio. Et niſi ita una ſit ECCLESIA & RESPUBLICA Chriſtiana, nihil ſunt, nihil erunt, omnia: in UNITATE enim à principio, & ab UNO continentur ſingula, fruſtra homines, nedum Chriſtiani futuri, ſi in hac Unitate, unum non ſunt, quæ tam magno noſtris diſſidiis ab invicem ſeparantur Salutis periculo. O fortunatum orbem! ſi iſtud capiat, & quæ ſumma noſtrorum votorum eſt, faciat, quod ſuadetur.

Ita ECCLESIAM & RESPUB. CHRISTIANAM, veram eſſe patebit Unitatis & Concordiæ, corpus, velut unum *Regnum*, unam *Domum*, unum *hominem*, unam *Civitatem*, in quà, tametſi Pax ad tempus poſſit turbari, poſt tamen remotis diſcuſſiſq; nebulis, eo quo intus animatur ſpiritu, coaleſcet: ut unum

ſit

ſit Pietatis exercitium : una Juſtitiæ administratio: una in valore moneta : una in pondere ſtatera : una uſualium menſura : una & perpetua, ſub ſacroſancto Unitatis numine, apud omnes & ſingulos Chriſtiani nominis & appellationis homines, Chriſtiana animorum HARMONIA; in quam, velut fontem ſuum recurrat tot verſans & patiens exilia Conſcientiæ libertas & ſecuritas, atque illa membrorum ſi dici poteſt Religio, uno Chriſtianæ charitatis complexu, ſopitis odiis ac diſſidiis, & compoſitis armis animisque dulciter & ſuaviter velut à *laboribus ſuis requieſcat.*

O Concordiam! ô dulcedinem charitatis! virtutem cœleſtem & divinam! & quæ ſola nobis præcepta eſt, & ſine quâ magnum NIHIL, ſumus. In iſta naſcetur nobis omnium Virtutum *obligatio*, quâ, velut nexu quodam colligatam Chriſtianitatem, in eam ſortem provehet, ut fortiori nodo, ad Chriſtianam concordiam & tolerantiam cogi non poſſit. Quâ vero iſta omnia ratione fieri poſſint, ſi hæc grata DEO, rata Regi-

 bus.

bus, & accepta hominibus fuerit intentio, imposterum docebimus.

Tandem, quod reliquum est, ut ex debita gratitudine omnium mortalium, immortali Regum GLORIÆ, detur locus: quem, à tot ætatibus infamis occupavit discordia, & in rebus divinis humanisq; funestavit contemptus, jam ex concepto Regnantium favore remedio, sibi persuadeant supremæ in terris Potestates, eos, accepti beneficij gratiam habituros, qui in hoc consilium vocantur, & benefica Regum indulgentiâ stimulantur ad sanitatem: Iis causis mota, in æterni obsequij ac reverentiæ mnemosinon, sequentem temporum, & memoriæ tabulam, nomine Reipublicæ Christianæ universæ, Regibus & Principibus, velut salutis suæ Authoribus, in tholo sapientiæ, Natio sapientum appendit, tanquam errorum & vitiorum in

præsens vindictam, imposterum

Virtutis & Gloriæ monumentum.

A.M.D.G.

A. M. D. G.

Sta, vide, lege Viator,
Aſſertæ & vindicatæ
Per DEI, & Regum gratiæ
Pietati & Juſtitiæ
Sacrum.

Quod Religioni & Reipub. Chriſtianæ univerſæ, ſuus ordo, & nitor redditus ſit, Eccleſiis & Caſtris diſciplina, Roſtris & ſcholis moderatio, Artibus, & ſcientiis quies & ſecuritas, omnibus mortalibus optata Concordia.

DEO OPT. MAX.
Gloriam.

Regibus & Principibus
Gratiam.

Debet habetq́;

A tot Sæculis concuſſus odiis ac diſſidiis Orbis, Populusque Chriſtianus.

MONITUM.

HÆc paucula quæ sequuntur, non de Operis pretio fuere, ne tamen incuriosus Typographorum Calculus, inter varios errores & spalmata, integrum paginarum hiatum faceret, annectenda velut necessariò putavimus. Sperabimus imposterum cum ORBE SAPIENTVM, si ordinem suum natura exuerit, & scribendi pruritum homines posuerint, ut & Calcographorum ingentem sudorem, & sæculi hujus immanem loquacitatem, superet aut æquet ævi fortunatioris quies, & silentium.

Inscri-

Inſcriptorum Codicillorum faſciculus.

Heus! lepidissime MERCURI, adesdum paucis te volo, dum istos conpingo, & consigno CODICILLORUM fasciculos, adesdum AUTHOR vocat. Quod iste à FATIDICO ad DOLOBELLUM veniat fasciculos nosti; magna in eo, & inaudita contineri, à me sæpius accepisti, & te ita credere, monet humanæ emendationis desiderium, jubetque regalis inscriptio; neque jam ista,

quæ

quæ tuam fidelitatem probant, aut conditioni inserviunt, ut te lateant, volo. Nam hoc genus hominum plerumque insolens, & immodestum, multis in locis, & apud multos vapulat. Siquidem illi, qui, Cursorum, Tabellionum, aut Postilionum nomine veniunt, aut vocantur, sæpe etiam sub sarcinis aut vinolenti, aut contentiosi sunt, & si quid debitæ solertiæ pedibus superest, nihil tamẽ de vitio & otio minuit illa, officiorum fidelium recordatio; pavent, simul & peccant, & perditissimo sæculi more, ducuntur non trahuntur. Idcirco in hac gravissima communis salutis causâ, & bonum publicum concernente, sciant te omnes, non ex signis aut vestibus, sed moribus sapientem MERCURIUM esse, nec pedibus duntaxat, at etiam animo valere, servabis sequentia.

Primo quocunque perveneris, in omni loco, omnibus etiam viribus adnitare, servare cultum & pietatem in DEUM, obsequium & reverentiam Regibus, innocentiam & urbanitatem ad omnes. Cum DEUS tibi exorandus venerit, consuetudinem abjicies, devo-

tionem

tionem servabis. Si benevolentia regia dignus videaris, omnes quoscunque accesseris per obsequium, & ex causâ deprecatus fueris, velut tuos Dominos agnosces, & oblatis Codicillis, tacebis: Si quidquam ex te quæsitum fuerit, ad sapientum Oratores omnia referes, atque invisam sermonis prolixitatem amovebis, memor illius moniti; *breviter monendi sunt Principes, & verbosa oratione, illud sæpè effici, ut in ultionem dati tædii, aut tardius benefici sint, aut penitus non annuant.* In aliorum conspectu, ita vives, non ut quomodo velis, sed quo modo oporteat; & resistendo malæ consuetudini. Virtutis necessitatem induas, Osor Vitiorum.

Secundo. Ut curiosus sis, & multùm sagax ingenio, ne careas auribus, quod infamiæ nota est, nec destituaris oculis, quod miserorum casus. Nam qui omnia scire volunt, necesse est, ut omnia videant, audiantque, per istos enim geminos præcipuè sensus, *scientia* fit, qui, subtiliores rerum species, nec difficiles ad distinguendum semitas inquirenti, pedibus & animo subjiciunt.

Tertio.

Tertio. Pulcherrimæ Veritatis gratiâ, quam, his Codicillis mecum libenter profiteris, te multis colluctaturum incommodis, ſcias, fortè & inſidiis. Innocentiam noſtram caſtigabit in te omnium vultus, nec multos invenies, qui annuant petenti, aut amicè conſpiciant, noſtro orio laborans, velut proprio ſuccumbes. Ut optatum finem nobiſcum conſequaris, ſumendus tibi erit animus fortium, nam plurima imposterum occurrunt, quibus tua & noſtra patientia laſſatur. Incedendum tibi aliquando erit, non per diem, ſed cum cæteri mortales ſomnum petent; & ubi domum, vel hoſpitium negaverint, in ſylvis campiſque oberrabis, nec ſociorum auxilium ſperabis; ibis huc & illuc, omni ſpe & conſortio deſtitutus. Quæ ſane vivendi ratio, cum noſtro ſæculo infrequens ſit, etiam illi qui veritatem odêre, intelligunt, quam, ſi conſtanter tenueris, in ipſo extremo fatigatum, dignabuntur æterna quiete.

Quarto. Orbem univerſum Chriſtianum percurrens, omnes circuibis Aulas, villas, & Civitates, ſolam & unicam

PLA-

PLACENTIAM, ab contrarium VERONENSIBUS institutum, & à tot sæculis transacta certamina, nec adhuc hostilitatem sopitam, procul fugies, & magnopere evitabis. *Amicos*, ab hostibus distingues, illos officiis, istos humanitate devincies.

MEMORIALE, nomen à memoria, sed debiliore, accepit; cum multa sint, quæ tabelliones distrahant, hujus observatio sicut te *fortem* faciet Mercurium, ita nemo negabit sapientem, nisi fortè STULTORUM *infinitus numerus*, sed istis non scribimus, cumque horum Studia plurimum aversemur, tibi quoq; cum illis nulla intercedet societas, ne contactu insipientiæ, nostra infametur sapientia, & tua in dubium vocetur sinceritas. Cæterùm quod coronidis loco est, & in maximæ rei velut solicitudine debuit esse principium, plane hoc est, ut instituti nostri rationem omnibus, arcana vero tantum Regibus & Principibus aperias, quarum summa est, Regnantium quies, & populorum felicitas.

Novis

Noviſſimum eſt, quod neq; te latet, & tamen neceſſaria ſolicitudine, inculcanda, quæ inde veniunt. Noſti me ex recenti fortunæ vulnere peremptorio titulo cum *T. FATIDICO* tranſegiſſe & tot teſtibus, quot Codicillis, tumultuarium laborem firmari: cujus causâ alios offendet parum exacta operis diligentia, ea enim eſt animi humani imbecillitas, ut etiam leviſſimis ſæpe rebus irritetur ad choleram. Alios percellet perplexa loquendi formula, verborum æquivocatio, tropi, figuræ, ſententiæ, ſcholis, non Aulis uſitata omnia; tum elegantioris dictionis contextus, ſæpè rebus fidei haud exactè conveniens, ut quicquid magis ſincere exaravimus, affirment ſcatere erroribus: quos tu humaniſſimâ abolitione, impones Typographorum cervicibus, pollicendo hominibus meliora, ſi felici reditu retuleris quam jucundè ſis inter mortales habitus. Interim vide, (nam hoc ſtat in pactis) ne noſter à Bibliopolis vapulet *FATIDICUS*, qui audacia ſua, non minus Authoribus, quam literis contumelioſi ſunt. Itaq; ne corrumpat ſuos Arti-

fices

ſices labor, dices, Te brevi veſte alia rediturum, ſi per hominum contentioſorum ingenia licuerit, & conceſſo diuturnioris vitæ uſu, potuerit ad ea ſe extendere, ad quæ, tecum, & mecum *FATIDICVS* natus eſt.

Et iſta quidem ſunt, quæ fortaſſe facile te tuebuntur à damnis aut inſidiis, quid violentiæ facturus es, ſi inferatur? mea quidem ſententiâ, feratur: nihil tibi novi accidet, quod non jam pridem experti & perpeſſi ſunt majores *Te* & meliores: ab illorum exemplis capies, quod proderit, diſcesq; plus è Cœlo ſperandum, quam metuendum ab hominibus, brevi ſupplicio infeliciſſimam vitam abſolvi, neq; lentè DEUM beneficum eſſe, cujus gratia patimur, cum idem ſit naſcentis gloriæ articulus, & pœnæ finientis.

FINIS.

este alia
ntentio-
sso diu-
ea se ex-
um *FA-*
tasse fa-
insidiis,
feratur?
ihil tibi
dem ex-
e & me-
capies,
è Cœlo
ab ho-
issimam
M bene-
ur, cum
ticu-

